

PALAESTRA LATINA



ANN. XXXI (Fasc. III - IV) - N. 175 - 176
M. A. SEPTEMBRI - DECEMBRI MCMLXI

PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii **BARCINONE** edendi

Constat in Hispania et America Hispanica: 60 pesetis; in Gallia: 8 francis; in Italia: 1.000 libellis; in Germania: 6'5 marcis; in Anglia: 12'5 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus.

PALAESTRA ADULESCENTIUM: Constat in Hispania et America Hispanica: 20 pesetis; in Gallia: 2'5 francis; in Italia: 300 libellis; in Germania: 2 marcis; in reliquis civitatibus: 0'50 dollaris.

Pretium mittatur oportet ad **ADMINISTRATOREM**: Lauria, 5, Apartado 1042 · **BARCELONA** (10)
vel ad **PROCURATORES** singularum nationum
Scripta ad Moderatorem: Conde, 2 - **BARBASTRO** (Huesca)

Depósito Legal L - 12 1958

Editur Ordinarii et Superiorum permissu

I N D E X

ANN. XXXI (Fasc. III · IV) N. 175 · 176

MM. SEPTEMBRI · DECEMBRI A. MCMLXI

J. M. MIR, <i>Laudemus gloriosam Martyrum mortem</i>	133
J. SIDERA, <i>Servus Dei P. Emmanuel Jové, C. M. F.</i>	135
J. ARAMENDIA, <i>Dulce et decorum est pro Christo mori</i>	143
E. JOVE, <i>Nova et vetera: Fabri lignarii ferramenta</i>	151
A. AVENARIUS-P. JOSEPH MIR	153
R. SARMIENTO, <i>Peristephanon</i>	155
S. B. PEREIRA, <i>Augustus</i>	157
N. MANGEOT, <i>De Augusto imperatore</i>	160
AE. ORTH, <i>De Vitruvio</i>	167
D. MIGLIAZZA, <i>Imago Horatii - Fanum Jovis</i>	175
J. IJSEWIJN - JACOBS, <i>Ad mortem Josephi Favaro, anatomici Mutinensis</i>	181
M. MOLINA, <i>Jubilaei Sacerdotalis eclogarii</i>	183
J. SIDERA, <i>Per Orbem</i>	193
<i>Epistularum inter socios commercium: Mir: Basilius - Bonamicus - Caelestis - Ijsewijn - Fontanini</i>	200
<i>Bibliographia, A. Marqués, J. Aramendía, I. González, Philoponus, J. Sidera, E. Tejerina</i>	210

PALAESTRA ADULESCENTIUM

J. Conesa, <i>Stus. Franciscus in Greccio civitate</i>	233
<i>Marqués-Moto-Palou-Aramendía, Tauri Michaëlluli fabella</i>	235
J. Casals-J. Camarero-Corominas, <i>Alumni scripta mittunt</i>	236
<i>Indices cinematographici pediludio aptati</i>	237
P. Codina, <i>Claret, victima Christi</i>	238
M. Muñoz, <i>Cur patriam diligo meam - Curiosa</i>	239
M. Molina, <i>Camillus parens patriae appellatur</i>	240
H. Huxley, <i>Aenigma Horatianum - A. Avenarius, Adenauer</i>	242
<i>Scalae sublimes - Facete dicta - C. Latorre, Mater ejusque familia</i>	243
L. M. Sansegundo, <i>Viri fama clarissimi mortui in terra aliena</i>	244
N. Mangeot, <i>Latet homicida sub toro</i>	245
H. Huxley, <i>Catena Vergiliana - G. J., De mentis orantis evagatione</i>	246
S. Copetti, <i>Callidus homo</i>	247
A. Lohmann-M. Molina, <i>Hippopotami cantilena</i>	248



DOHANNI XXIII PONT. MAX.

**O Jesu foveas quod supplice voce precamur:
semper Romanum protege Pontificem,
qui pastor bonus, errorum caligine pulsa,
ad Christi cunctum ducat ovile gregem,
nautaque sollicitus, per fluctus atque procellas,
ad portum Petri dirigat ipse ratem.**

FRANCISCUS ALOISE

Plaudente orbe terrarum Joannes XXIII, Pontifex Maximus, octogesimum natalis sui annum et tertium ab inito Summo Pontificatu sollemniter egit.

Romam et in ea venerandam illam Summi Pontificis personam filiorum amore laeti contuemur: Vicarium Christi in terris fideles colimus, ab eoque fidei, morum, perfectionis et disciplinae christianae praecepta avidè expectamus; illum omnes omnium gentium supremi moderatores, omnes sanae mentis homines, quique doctrina, virtutibus vel humanis praestant, qui pacem inter nationes studio et opera insectantur, qui unitatem populi christiani expectant vehementer, omnes ad unum *pastorem bonum* in suprema orbis arce —Roma aeterna— conspicantur, in eoque quicquid humanae restat spei summo studio collocant.

Ad hanc veritatis Cathedram et nos reverenter accedimus ut superni luminis radios percipiamus utque rectam et probatam humanitatem intellegamus, amemus et in alios diffundere possimus.

PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII
A SOCIIS CLARETIANIS EDITI

ANN. XXXI (FASC. III-IV) — N. 175-176 MM. SEPTEMBRI-DECEMBRI A. MCMLXI

Laudemus gloriosam Martyrum mortem

Prudentius, nobilissimus ille poëta christianus, dum laudes Martyrum contexit Calagurritanorum, eorum nomina in caelo scripta esse dicit ab ipso Christo aureis litteris adnotata eaque in terris sanguinis notis exarata ¹.

Hanc sane Christus suis «testibus» omnium aetatum attribuit gratiam ut, dum sanguinem cruentis cruciatibus profundeabant, morte mortem vincerent, et, dum tortores eorum corpora humi abjiciebant, eis Christus victoriam apud homines donaret praeclaram et gloriam in sinu Patris sempiternam.

Quam victoriam et gloriam et nos recolere debemus, fratresque nostros, dum vivimus et licet, laudibus extollere et eorum gesta commemorare hoc commodum tempore quo quintus et vicesimus annus vertitur quo stranuissimi illi Missionarii e familia Claretiana adulescentes — Barbastrenses et Cervarienses in primis — pro Christo et fide quasi pugnantes occubuerunt.

Nam si apud homines jam diu invaluit mos ut quinta et vicesima, quinquagesima, centesima... recolatur et cum amicis celebretur anniversaria diei natalis, nuptiarum aut sacerdotii aliorumve eventuum commemoratio, nonne nefas sit fratrum oblivisci qui fidem avidissime tenuerunt acceptam, qui pace animi servata contumelias passi sunt et ludibria, qui hominum spreverunt promissa et honores, qui maluerunt sub pacifica Christi acie mereri et veste religiosa indui quam hac derelicta in illecebris carnis volutari et in adversa hostium Christi castra transfugae cooptari?

1. Cfr. *Pertistephanon* l. 1, 1.

Hos Christi Domini heroes contemplemur, hos sequamur qui victoriam, vel humanam dico, certo promeruerunt multoque magis supernam sunt adepti.

«Sanguinis nuptiae» hae —quas commemoramus— sunt appellatae² et merito: Christus enim divinus ille sponsus, profuso corporis sanguine, hos voluit ad caelestes nuptias advocare martyres.

Nos vero qui residui sumus —qui cum his victoribus quondam pugnavimus in acie christiana et in hac quoque humanitatis et litterarum «palaestra», qui ab eximio magistro in lingua latina tradenda ejusque amore in discipulorum mentibus infigendo, P. Emmanuele Jové, edocti sumus et conformati— animi sensa his pagellis significare statuimus, et fulgentissima eorum vestigia secuti et exempla, incoeptis quoque inhaerere promittimus ut quam facem fidei et humanitatis ab ipsis accepimus, fulgentiorem adolescentibus advenientium aetatum tradamus qua, et hi quoque mente et animo conformati, studiosi constantesque in fide et litteris permaneant.

Illi qui pro fide occubuerunt et humanitatem tenuerunt, quorum vitam et mortem gloria plenam his scriptis admirabimini, apud Regem caelestem pro nobis deprecantur ut, quam assecuti sunt victoriam, et nos assequi mereamur.

In Sede PALAESTRAE LATINAE, Barbastri, die festo B. Virginis Mariae in caelum Assumptae, quo plures Claretiani adolescentes gloriosam oppetierunt mortem.

JOSEPHUS M.^a MIR, C. M. F.

2. Ita Excms. ac Rdmus. P. Arturus Tabera, C. M. F., Episcopus Albasitensis, in alloquio Barbastri habito die 25, mense julio, a. 1961 dum illorum dierum —anni 1936— facta et fratrum nostrorum fortitudinem pie commemorabamus,

Servus Dei Pater Emmanuel Jové, C. M. F.

Jam XXV elapsi sunt anni ex quo Commentarii nostri Moderatoris sanguine conspersi sunt. In lugenda enim illa rerum omnium hispanarum eversione, qua plurima raptata sunt atque truncata, Commentarii quoque nostri patre et conditore orbatii sunt. Decet tanti viri memoriam recordari deque eo quaedam saltem breviter meminisse, cum praesertim fecundus sit heroum sanguis.

Patris Emmanuelis Jové vita summa simplicitate continetur. Ortus est in oppido *Vallbona de les Monges*, quod oppidulum ad monasterium veterrimum saeculo XII conditum, saeculo XII aedificari coeptum est. Ibi die 14. mense septembri, a. 1895 natus est Emmanuel, paucisque post diebus aqua baptismali regeneratus est. Decennis cum Christum vocantem audisset ejusque vocibus obtemperasset, Cervariae receptus est, ubi studia gymnasia- lia est emensus. Tirocinio expleto, vota perpetua in Congregatione Filiorum Immaculati Cordis B. M. V. die 15, mense augusto, a. 1912 nuncupavit. Omnibusque curriculi ecclesiastici studiis perfectis, sacro sacerdotio initiatus est Caesaraugustae die 29, m. majø, a. 1920. Omnes sacerdotii annos in pueris et adolescentibus lingua latina erudiendis, prius Vici (*Vic*), deinde Cervariae consumpsit. Quorum animos tanto in latinitatem ardore inflam- mavit, ut brevi miros in ea fecerint progressus, ejusque adjutores effecti, opem in laboribus postea suscipiendis validam praestare potuerint.

Quodam die, in deambulatione nescio quis de commentariolis latine edendis verba fecit. — «Quin edis, P. Jové, commentarios latinos?». P. Emmanuel jam pridem in «*Alma Roma*» saepe scripserat et cum Fornario et Avenario non semel et epistulas commutaverat et quaestiones agitaverat. Jam igitur aliquantulum de commentariis scribendis idque latine cogitarat. Nemo crediderit verbum illud obiter prolatum tantae futurum esse virtutis ut tam brevi *Candidatus Latinus*, puerili ac virginali quodam rubore suffusus, e prelo prodierit.

Quomodo P. Jové assecutus est tantam linguae latinae cognitionem ac facilitatem ut commentarios latinos et condere posset et moderari? Qui eum noverunt asserunt P. Emmanuelem mediocri potius praeditum fuisse ingenio. Tamen maxima animi contentione et constantia, auctores latinos nocturna versando manu versandoque diurna, cotidiano assiduoque labore quem locum inter aequales latinitatis cultores tenuit, suis ipse manibus acquisivit. Initio enim non multos libros, non multa instrumenta habuit. Ipse autem perpauca instrumentis usus quod unum voluit, est assecutus.

Candidatus Latinus. — Anno MDCCCXXVII, kalendis januariis in lucem prodiit primus fasciculus commentariorum quibus index CANDIDATUS LATINUS, «internus ad linguae latinae studium apud scholasticos nostrates colendum commentarius».

Primus fasciculus hoc sacro epigrammate honestabatur:

PRAECEPTORES · LATINITATIS
DISERTOS · VIROS · AEMVLATVRI
PER · QVOS · OLIM · EFFLORVIT · LITTERIS · LATINIS · CERVARIENSIS · ACADEMIA
EDENDVM · COMMENTARIOLVM · EXCOGITAVERVNT
VT · PERENNEM · ECCLESIAE · SERMONEM
APVD · SVOS · COLANT · FOVEANTQVE
MODERATORIBVS · OMNIBVS
QVORVM · FAVORE · NATVS · FRONDESCET · FLOREBIT
GRATI · ANIMI · ADDICTIQVE
SIGNIFICATIONEM
VNIVERSIS · CONLEGIORVM · SODALIBVS
OBSERVANTIAM · STVDIVMQVE
TESTATI
CANDIDATVM · LATINVM
NVNC · PRIMVM · IN · LVCEM · PRODEVNTEM
VIRGINI · DEIPARAE
SACRVN
DEDICANTES
PRAESIDIO · CAELESTI · AVSPICANTVR · REDACTORES

Submissee quidem atque modeste CANDIDATUS LATINUS de se scripsit:

«Ut facile argues ex nomine, non me in publicum exhibeo quasi civitate latina donatum. Id tanti honoris nemo non diu luctatus adsequitur aut civium principumque favore. Faxit Deus ut olim adeo mihi faveant Latini cives et litterarum primores, ut tamquam omnium clamore Latinam in provinciam valeam cooptari. Etsi tamen in annos *candidatus*

ipse remansero, certo equidem perficiam ut omnes mecum ex his pagellis ad illum honorem contententes feliciter petant, present, hominum denique Latinorum suffragiis ultro cumulentur. Neque id nobis erit invidiae, sed summae potius voluptati, cum sit». (*Cand. Latinus*, 1, (1927) 3).

Deinde propositum aperit:

«Propositum nostrum qui priores in certamen descendimus, gladios sociorum nostratum quasi in palaestra quadam exacuere, acutosque — atque eos non paucos — assidue perpolitos custodire, gladios tum scilicet in campo Latinitatis vibrandos cum Congregatio nostra, delectis undequaque gentium militibus, inque aciem contractis, Romanas Ecclesiae aquilas expansis alis per orbem terrarum ex proelio in proelium victrices deportare

conabitur. Omnes igitur ad hanc palaestram accessimus qui in Congregatione tamquam boni milites decernere peroptamus. Accessimus quidem ab Ecclesia... Accessimus ex summis Vaticanis jugis... Accessimus a praeclearissimo Congregationis Fundatore... Accessimus a praesenti Rmo. Moderatore... Accessimus ab omnibus superioribus nostris (*Ib.* p. 5-4)».

Nomen *Candidati* commentariolis dedit R. P. Franciscus Morán, qui «Censorini» partes egit et cotis vicem; ipse enim et alumnorum scripturum

culas excutiebat et ad obrusam exigebat. P. Jové autem *Nova et vetera* de thesauro suo, juvenis pater familias, proferre coepit. De laconico primum est locutus, indicemque «vehicularium» proposuit (*circumveha* = autobús, *automolus* vel *automovilis*, *birota*, cet.).

Vallisbonensis (lege P. Jové, Valle Bona natus) quaestiones de orthographia in commentariis adhibenda proposuit, quas deinde alius «*Soleti*» nomine contectus (fortasse ipse P. Jové) in proximis fasciculis enodavit. Quam deinde quaestionem amplius explanavit in *Palaestra Latina*.

Dum *Censorinus* stilum scriptorum juniorum perpoliebat, Joveus de dactylographo, de stilographo, de machina photographica, de clavichordio, de trahaculo (quod postea in *tramen* mutatum est pro verbo *tren*, *train*, quod alii *hamaxostichon* graecanice dixerunt) de hydroplano, de mello, et citrullo, de automolo, de schedinummo, de birota scribebat, aut vetera aptando verba, aut nova cudendo, aut alia ab aliis derivando. Hic vero argumenta quibus fultus verba fingeret, non proponebat. His de rebus arbitror in *Alma Roma* eum disputare solitum.

Praeter Jovei et Censorini, quamplurima alumnorum scripta tecto recipiebantur, qui quidem in dies in litterarum amorem rapiebantur et cultum. Qui has scriptiunculas oculis percurrit, facile animo commoveatur; nam omnes fere alumni eas signantes, media vitae aetate sanguinem pro Christo fuderunt... Praeterea nomina, in *Candidato Latino* prima stipendia meruerunt clarus poëta latinus P. Henricus MARTIJA, locuples scriptor P. Ildephonsus GONZÁLEZ, et moderator noster Josephus MIR, qui omnes tum nondum sacerdotes erant. Etiam P. AVENARIUS litteras exultationis plenas misit et gratulationis.

Palaestra Latina. — Jam inde ab initio *Candidati* propositum longius in incepta re procedendi animo amplexati sunt moderatores. Vel in fasciculo primo scriptum legimus: «*Candidatus palaestra latina vocari merito potest*» (p. 31). Celeriter primo illo triennio quo *Candidatus* lucem vidit omnia maturarunt: scriptorum et stilus et latinitas et numerus et praeparatio et commentationes. Mirum quot juvenes quantaque facilitate pollentes sermone utebantur latino. Vel ipse P. Joveus «latiniior» apparebat, nam initio nonnulla verba locutionesque nimis hispanum sermonem sapiebant, liberius quandoque verba nova sine necessitate fortasse adhibebat. Deinde autem verba et praeprimis dicendi genus, et elegantius eveniebat et copiosius. Omnia igitur parata erant ut commentarii illi domestici, domo relicta, publicam solis lucem sine rubore viderent.

Anno igitur *Candidati* tertio in fasciculo ultimo publice divulgabantur condiciones PALAESTRAE LATINAE: in posterum «quotannis mense octobri ordietur, novemque editis fasciculis per totidem menses curriculi scholaris, mense junio claudetur». Hujus rei occasionem et ansam praebuit bis millesimus a Vergiliii nato anniversarius. Maximis omnes laudibus exceperunt

novos commentarios, omnesque res nostras rite perpendentes, summum facti eventusque momentum senserunt, ut P. Avenarius qui haec verba, vate digna, scripsit: «*Opus magnum suscepisti, mi Jové, et plenum laboris, sed dignum immortalitate*» (Cfr. *P. L.*, 4 (1933-34) p. 126).

In nova *Palaestra* Joveus noster ampliore ratione explanavit quae in *Candidato* susceperat. *Nova et vetera* praesertim P. I. GONZALEZ curavit. Carmina pulcherrima P. H. MARTIJA edere perrexit. PP. J. Jiménez et J. Mir stilum perpolierunt commentationibus emolumentum aemulationisque plenis. Moderator Joveus in primis pertractandas suscepit res varias, prout tempore postulabantur commentationibus quas ille jam in primo *Candidati* fasciculo «*penarias*» appellavit, quod ex illis commentationibus — cum majoris ponderis ac doctrinae haberentur — quasi e «*penaria* seu *penuaria*» cella potiora desumantur. In epistularum commercio quam saepissime cum amicis aliarum gentium de verbis novis inducendis aptandisque veteribus disputavit, neque hac in re in verba cujusquam magistri unquam juravit, ne Fornarii quidem qui quondam, at immerito, neque a Joveo — ut ille scripsit — sed ab alio scriptore, «*aculeato nimis dente*» se carptum est professus (Cfr. *P. Latina*, 3 (1932-33) 76). Quaestio tum de «*testudine*» juxta Fornarium, de «*essedo* seu *essedo*» pro voce anglica «*tank*» invehenda agitabatur. Quae disputationes cum in *Alma Roma* tum in *P. Latina* agebantur a viris sincero veritatis inveniendae animo vere affectis. Verba nova praeterea Joveus non timebat cum necessitate coactus novae rei exprimendae pelleretur. Quorum nonnulla optima ratione composuit et civitate latina sine dubio donanda ut *fulminivorum*, *trahaculum* seu *tramen*, *dactylographum*, *stilographum*, *clavichordium*, *submarinum* (navigium).

Majoris momenti fuere commentationes quas de «*recta linguae latinae pronuntiatione*» inde a primo fasciculo anni scholaris 1933-34 edere coepit, in quibus de singulis litteris et ab aliis et a se investigata maxima auctoritate proposuit. Hac de re quid senserit ipse referre juvat (*PAL. LAT.*, 4 (1933) 2):

«*Quis autem vir — ita ipse — consuetudinem a primis unguiculis ductam retractet, etsi retractandam censuerit? Hunc ausim praecipuum dicere obicem rectae linguae latinae pronuntiationi. Profecto unusquisque eam pronuntiationem praefert, quae sibi a prima institutione injecta est. Nos id non dolemus. quod qui inscianter a prima aetate falsam pronuntiationem didicerunt, ob respicientiae difficultatem male pronuntiare pergant, sed id potissimum lamentamur quod*

praeceptores, quibus est officium sacratissimum a falso mentes puerorum avertere et verum eos unice docere, ob quamlibet causam audeant falsitatem nationalium pronuntiationum virginibus puerorum mentibus ingerere. Neque minus vituperandi sunt, mea quidem sententia, qui falsam pronuntiationem relinquentes, aliam usurpant, quae similiter falsitate laborat. Hic repetendum venit illud Horatii:

«*In vitium ducit culpae fuga, si caret arte*» (*Art. Poët.* 31).

Qui vero illam improbant quod non tota enuntiandi ratio instauretur, respondet:

«Qui summum attingere nequeat, ne corruat in imum» (4 (1933) 18),
eisque deinde dicit:

«Quibus est satis molestum consuetudines mutare, eas maxime quae a primis unguiculis ductae sunt, ante omnia hanc objiciunt quam sibi fingunt, difficultatem: Ea pronuntiatio fieri non potest ut cognoscatur. O commodum in vitiis dormientium pulvinar! Sed quas vigiliis in litteris latinis putatis eos impendisse qui hoc offendiculo initio jam itineris praepediuntur? Nullas profecto» (PAL. LAT. 4 (1933) 18).

Summum in hoc negotio argumentum fuit instaurandae pronuntiationi veritatis amor. Veritati cedendum, non commodo, non patriae, non educationi, non consuetudini¹.

Hujusmodi commentationes (in quibus alia ab aliis non semper probantur, ut ex. gr. sonus «s» litterae intervocalis) fere in extremum vitae diem protraxit. Suntque magni ponderis et emolumentum.

Occurrente anno Vergiliano et Horatiano, et occasione Beatificationis Sti. P. Antonii M.^{ae} Claret, extraordinarii fasciculi et scriptorum numero et rerum et pagellarum editi sunt.

Episcoporum Stimulus. — Praeter *Palaestram Latinam*, opus P. Jovei vera maximum et immortalitate dignum..., alia edenda curavit aut paravit. Primum grammaticam latinam, quae tunc temporis apud nostrates usu habebatur, iterum recognovit, emendavit et in lucem dedit. Majoris momenti fuit editio operis Sancti Antonii M.^{ae} Claret, Fundadoris ac Legiferi Patris Missionariorum C. M. F., «Apuntes que para su uso personal y para el Régimen de la Diócesis tenía siempre a la vista el Arzobispo de Santiago de Cuba», quem librum «*Episcoporum Stimulus*» nomine insignivit. Septem diebus rem confecit, aliis opem ferentibus, in primis P. Henrico MARTIJA. Placet illa legere gracili levique facilitate expressa. Quodammodo magis latine quam hispanice opus lectum placet. Haec translatio facta est occasione Beatificationis Sti. Antonii Mariae Claret a. 1934.

Praeterea *Dictionarium Latinum Hispanicum* parabat cum bellum hispanum exarsit. Multas plagas prelo paratas habebat, innumeras collegerat schedulas. Cum e Claretiano — quae villa est haud procul a Cervaria sita — urbiculum natalem petivit, nonnullas secum schedulas duxit, sperans se aliquid facere posse quae nulli utilitati fuerunt. Ceterae nescio ubi reconditae perierunt. Cumque illis aliquot annorum labor evanuit. Dolendum, quod sine dubio opus vere utile misere periit.

1. Non pauca virtutis constantia indiguit P. Jové ut ipse pronuntiationem adhiberet. Nonnulli vehementer in eum vim fecerunt, quasi si de novitate ageretur aut de ridicula quadam re. At ipse non aliis sed veritati semper cessit.

Pater Joveus sui officii martyr. — Vere lugendi dies illi fuere diri belli hispani anno 1936 exorti, quibus et P. Jové periit. Quadriennio antescrispserat Joveus Avenario suo:

«Nos tantam calamitatem (i. e. edendi cibos suppositicios) eo tempore non subimus, sed nunc aliam patimur aprorum nempe *incursionem* qui cornibus suis omnia impetunt sive divina sive humana jura. Nostisne eos? Ex latebris sectae massonicae in gubernium ascenderunt atque inde perdere nos volunt,

qui vestigia Christi sectamur. Deo miserante et gressus eorum praepediente nec medium iter fecerunt quod adfectabant. Etiam ad hoc tuas preces efflagito ut hostium nostrorum superbia conteratur et nobis pax religiosa quoquo modo restituatur» (3 (1932-33 p. 42).

Numquam credidisset se tam brevi *dentibus aprinis* laceratum iri. Nam ipse in postremo fasciculo mense junio a. 1936 scripsit: «*Lectoribus usque mensem octobrem vale dicimus omnia fausta et secunda per aestivas ferias eis imo pectore exoptantes*» (PAL LAT., 6 (1936) 174).

Sub belli civilis initio P. Joveus in Claretiano, ut dixi, cum P. Josepho M. Mir morabatur, quo se contulerat ut partim animum relaxaret, partim dictionario latino hispanico conficiendo totus vacaret, omnino ab aliis, quibus distendi animi posset, curis. At die 23 m. julio, omnibus Missionariis intra horae spatium a vetere Universitate pulsus, Claretianum plurimis sacerdotibus, scholasticis, coadjutoribus impletum est. Eodem autem die, autore dacti aliquot milites populares — qui «*militiani*» vulgo appellabantur — venerunt, villam inspecturi. Quos P. Emmanuel, qua sua erat animi comitate, adiit quidque vellent rogitavit. Responderunt se villam facere suam in eaque illos tantum in posterum commorari posse qui terram armentaque curarent, ceteri alio discederent. Qua re audita, omnibus fere abeundum fuit ut vitam securius e periculis imminentibus eruerent. Turmae 14 juvenum (e quibus nonnulli ne 21 aetatis quidem annum expleverant — in quibus et avunculus meus —) praefectus est P. Jové, quos domum suam paternam inque alias domos amicas duceret Valle Bonasitas. Quantis lacrimis, precibus, promissis alii fratres ab aliis disjuncti sunt atque avulsi! «*Valete! In caelum usque! Omnia in Dei gloriam et Congregationis!*».

Hora 2 pomeridiana, die 24 mense julio iter facile et breve, — ita illi crediderunt — arripuit P. Jové cum sodalibus. Jam mente prospiciebant Vallem Bonam et dulcem, ut numquam antea dulcissimam, domum ubi vitam recondere possent... Nocte obviente ad vicum *Montornés*, itinere ac magno aestu fatigati, aliquantulum quieti concesserunt. At illuscente die 25, omnes bini et bini ac prudenti alii ab aliis distantes spatio itineri denuo se commiserunt. Hora decima ad vicum *Guimerá* pervenerunt et ab aedicula Virginis sacra *La Bovera* appellata, descendere coeperunt, ut vallem emensi, iterum a vexatoribus sese abderent. At vallis omnino arboribus amicis caret. Arbusta tantum et terra sole combusta... Sed oppidulum *Ciudadilla* e summo colle, ubi situm est, vallem totam contuetur, omniaque scrutatur. Aliquot

perfricati vultus viri clare perspexerunt binos viros transversis itineribus incedentes, pavidos huc illuc circumspicientes, deinde alios binos, aliosque... Tandem binos, qui ad extremum adveniebant, comprehenderunt, cum alii sospites se existimantes ad roboretum constiterant ut quiescerent... Interea P. Jové, expeditionis dux et pater, vicum *Rocafort* ingressus est domumque sibi plane cognitam petivit. Ibi quievit, corpus lavit, pedes ulceribus et sanguine perfusos curavit, membra nimio sudore ac fatigatione levavit. Dum haec tranquille facit et curam de comitibus abdendis habet, «populares milites» ad fores domus amicae constiterunt. A deprehensis acceperunt illuc Patrem confugisse... Ad erum: «Nisi statim descendet «curio» iste, januas perfringemus deque eo vindictam, quocumque erit, sumemus». Joveus omnia audiebat. Facillima sibi fuga erat portō posticā, ad campos aperta. Cum vero sodales sibi commissos captos esse audivit, a fuga omnino abherruit. — «Me inimicis tradam». — «Ne id feceris. Prius cogita. Occidēris!». Mihi juvenum illorum commissa est cura. Eos relinquere non possum». — «Occidēris sine dubio», era inquit scalas descendenti». — «Quis hoc sciat! Forsitan... me tradens omnes salvos faciam...». Et manibus se tradere nocentium non dubitavit. *Quanta in tanta rei simplicitate sublimitas! Quanta in comitate constantia!*

Joveus comprehensus paucis post temporis minutis fratres in aedibus socialistarum¹ invenit, qui gratis oculis animoque grato fidem Patris ac magistri probaverunt.

Quid ea nocte acciderit, calamus describere nequit. «Milites populares» Ilerda vocati voluptate perfrui voluerunt animumque relaxare truculenta illa atrocique «venatione»... Primum quidem vestimenta crumenasque accurate saevissimeque inspexerunt, multa convicia effutientes quibus pias fratrum aures graviter offendebant. Cum in pectore P. Jové Crucis fixi imagunculam invenissent, et in terram proicere et pedibus conculcare jusserunt. Cumque ipse «prius moriar» strenue respondisset, ictu valido ei osculandum dederunt, quo ictu sanguis de labris manavit. Deinde et in os immiserunt deglutendum, genis saevissime scissis. Dirae horrendae que matutinae horae illae fue- re. Quid amplius juvenibus illis factum sit, singillatim ignoratur. At lintamina, quibus fortes illi martyres corpora in reliquam noctem obvolverunt, magnis sanguinis maculis conspersae et foedatae adparuerunt.

Die 26 hora meridiana. Ilerdam pervenerunt sarcinaria² autotraha vecti. — «En quam plena retia fertis! Optime, tantumque facinus iterate! At cur eos huc fertis?». — «Retro coemeterium inspicite». Ita salutarunt ilerditani populares popularibus cum juvenibus venientibus. — «Prius ante populare

2. (Camión, cfr. *Candidatus Latinus*, fasc. 1. p. 7).


tribunal sistant oportet». — «Nequaquam! Ilerdae omnes maximo labore distenduntur, quem augere non licet. Retro ergo ite et...».

Silentio, aequo animo ac sereno de autotraha sarcinaria bini juvenes descenderunt. Mutuo submissa voce inter se hortantur ut pro Deo et Christo Regi sanguinem digne fundant. Deinde ad parietem collocantur intra coemeterium. Interrogantur singuli: — «Tu quoque pro Deo mori cupis?». — «Ego quoque», singuli responderunt.

Statim mortiferis plumbis heroum illorum corpora traiciuntur. Ita Joveus cum juvenibus XIV occidit ut officio sibi commisso fungeretur.

Hora secunda pomeridiana die 26, mense julio, a. MDCCCXXXVI.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.



Incisio facta in ligno a quodam Missionario martyre barbastrensi

Dulce et decorum est pro Christo mori *

Barbastrum Claretianorum Martyrum sanguine rubescit

Barbastrum, urbs natura venusta, regionisque Altae Aragoniae caput, quod cruentissimo displodente, anno 1936, bello hispano, locus putabatur ad praesidia aptus —felixque Arcadia. . beatissimis pastoribus celebr—, vi summa atque celeritate ignis velut in benzinae taberna ardens, populus immanitate barbarus et feritate redditus est in quo adversus Religionem Catholicam sceleratissima flagitia a nefariis hominibus perpetrata sunt...

Quot et quam praestantissimi et fortissimi viri pietate atque doctrina clari mortem Barbastrum occubuerunt...!

Reapse mane ipso diei 18 julii, cum luna caelo fulgebat sereno, urbs Barbastrum —praecoci maturitate— plerasque ex urbibus Hispaniae praeveniens, vias et plateas frequentes vidit operariis, opificibus plurimisque popularibus addictis qui, infesto ac tumultuario agmine incedentes, hora noctis undecima, Municipio adfuerunt, ibique —coetu nocturno habito et post orationes et colloquia seditiosa in multam noctem producta— Supremi Moderatores, quibus, consilio vere communistarum proprio et impio, urbis cura commissa est, delecti sunt.

Cum primum civitas perturbata est, populi factio pro explorato habuit triumphum facile se assequi posse, favente, adnitente praesertim Praefecto Arcis Villaiba, qui quamquam iterum iterumque promiserat se in tuto omnes Barbastrum viros Religiosos collocaturum, tamen cum rerum adjuncta sibi feliciter cedere non viderentur, condicionibus atque temporum opportunitate callide usus, se Barbastrum popularibus tradidit. Quo actum fuit de praesidiis omnique vitae spe...

Scholasticus Attilius Parussini —Martyrum socius et testis— qui, natione argentinus, incolumis evasit, haec scribit:

* Consule si vis, lector humanissime, ad hanc, quam de Martyribus Claretianis Barbastrum trucidatis, historiam brevem narro explanandam, hos libros:

Misioneros Mártires, Barbastrum, JESÚS QUIBUS, C. M. F., Gráficas Claret, Barcelona, 1941, pág. 190.

Historia de la persecución religiosa en España, 1936-1939, ANTONIO MONTERO MORENO, B. A. C., Madrid, 1961, pág. 883.

Si Dios quiere nuestras vidas, ANTONIO M.^o ARRANZ, C. M. F., Cocusa, Madrid, pág. 95.

Admirables escritos de los Mártires de Barbastrum, DESIDERIO HERNANDO, C. M. F., F. Camps, Tárrega, pág. 48.

«Iam ante diem XVIII Kalendas Augustas, cum certior factus est Mauritaniam tumultuatam esse, Collegii Claretiani Moderator Arcis Praefectum adit ut eum de re edoceret et periculo adventente, auxilium ab eo peteret... Praefectus autem asseveravit nihil detrimenti eos capturos..., nihilque sanguinis effusum iri...»¹.

Sed rerum adjuncta ita permutata sunt et versa ut Arcis Praefectus non potuerit —aut noluerit— civitatis tumultus sedare atque opprimere.

I. Plebecula Claretianum Seminarium occupat. — Die 20 mensis Julii, cum horologium horam quintam vespertinam et dimidiam sonabat, iteratis, violentisque campanae pulsibus, januam ut aperirent Patres tres Collegii Moderatores adierunt et... ecce sexaginta fere populares et aggressores, vi et armis, in vetustum Claretianum Seminarium —ubi graves Patres, Scholastici juventute florentes Fratresque pietate pleni, ad disciplinas ecclesiasticas et sanctitatem incumbabant— impetum faciunt. Marxistarum jussu campana —quae nunquam Religiosos tanto amore vocaverat— ut omnes convenirent pulsa est.

Statim ut omnes Patres, Scholastici Fratresque Coadjutores descendunt ad areolae Collegii parietem ordinati consistere jussi sunt, ubi multis contumeliosis verbis prolatis illa satellitum turba eorum vestes et corpora diligenter, accurateque praetentavit. Cum nec apud eos nec, tota domo singillatim perscrutata, ullo loco arma invenissent, ira incensi et furore, seditiosi captos Patrem Rectorem Seminarii —Philippum a Jesu Munárriz—, Scholasticorum Praefectum —Joannem Díaz—, domusque Administrum —Leontium Pérez— in Municipii vincula demiserunt.

Paulo tempore intermisso, ut animos concitatissimae plebis populi duces conciliarent — quae circum et intra domum, fustibus, cultris, pyroballistis instructa magnos edebat clamores— omnes domus Religiosi, Martyrum pane prius roborati, in Scholarum Piarum conclave carcerarium, perpetuis custodibus stationibusque custoditi, grassari jussi sunt.

Alto, religioso fere silentio circumfusi, lacrimisque amicorum comitati carceres petiere...².

Tantaque ornati modestia, ita demissis oculis incedebant ut testis, qui a pergula eos transeuntes spectavit, affirmaverit. «Videbantur a Communionem redire...».

1. *Boletín de la Provincia Claretiana de Argentina*, 16 de julio de 1939.

2. Hanc lege inscriptionem in marmore incisam quae in areolae pariete —in aeternam rei memoriam— infigitur:

«Hinc hora vespertina diei 20 Julii anni 1936, Missionariorum Communitas, minis marxistarum sancte susceptis, omnes Martyrum pane roborati et oculis Matris suspirati, carceres petiere, priusquam sanguinem Christo Regi et Cordi Immaculato, forti animo libarunt».

II. Tanquam aurum in fornace... — Claretiana domo et ecclesia in plebis arbitrium adductis, animum intendamus ad Missionarios qui, interriti, strenui pro Christo, in Barbastri carceribus, magnis doloribus premebantur.

Seminarii Claretiani Moderatores inter quinquaginta custodes per urbis vias circumducti, multis curiose inspectantibus, qui ad eos quoque truces minaciter oculos manusque circumferebant, atque «*Constitutionis Aream*» — nunc «*Martyrum Area*» appellata —, transgressi, in angustum ergastulum et tenebricosum, in superiore tabulato Municipii aedium situm, inclusi sunt; ibique multa, quae ad victum, ad potum, ad munditiam spectant, passi sunt. Sed paucis post diebus, cum carceres captivis oppleti essent, tres Claretiani Moderatores simul cum trecentis aliis vinctis in Capuccinarum Coenobium, translati sunt. Ibi saevissimo fossore moderante Aemilio Ferraz, qui «*furcae et cultri dominus*» appellabatur, contemptione et probro affecti, vitam ad noctem diei 1 mensis Augusti egerunt, quo die in Barbastri coemeterio martyrii palmam acceperunt.

Reliqui Claretianae Communitatis Missionarii — praeter duo Scholasticos mala valetudine affectos, nosocomio exceptos —, quae sex Sacerdotibus, triginta septem Scholasticis et sex Fratribus Coadjutoribus constabat, in Patrum Scholarum Piarum theatro, quod ad carcerem adhibitum est, detenti sunt; quo loco per mensem fere — Pane Angelorum et nutriti et roborati — ad martyrium animos suos comparaverunt.

a) **In hac tantae aerumnae vita**, in quam Martyres redacti sunt, quot revera pertulerint corporis incommoda, quantisque Deum hostiis donaverint, Angeli tantum describere potuerunt. Victu et potu — aqua praesertim, illis ferventibus aestatis diebus maxime ad munditiam et potum necessaria — parcissime usi sunt... Quod vero ad cultum et vestes spectat hoc tantum, lector, scias oportet: per tres hebdomades quibus in vinculis detenti sunt Missionarii, nunquam eis facultatem permissam esse, sole acerrime aestuante, sodore madentibus, aula angusta, vestes mutandi... Aqua tantum parvae hydriae, quae ad potum inserviebat, sudaria lavare custodes patiebantur...

b) **Dolores vero, incommoda**, animique cruciatus et angores multo acriora quam corporis fuerunt, quippe qui continenter mortem eis satellites verbis minabantur, vel eos, manuballistam ostendentes et interfectionem simulantes, de praesenti morte custodes monebant...

Aliquando a fenestris haec sordida, auribus horrissona, exspuebantur verba:

«Vos necabimus quia virtutis estis simulatores... Ubi vos interfecti eritis, ego viscera, ego cerebra vorabo... Ego vero priusquam necentur, fodere eorum oculos vellem...».

In tantam foeditatem et immanitatem, aetate illa prolapsi sunt homines...!

Ut ad virtutem et castitatem religiosam deserendam compellerentur et ut a fide data —qua Deo votis obstricti erant— deficerent Missionarii, facultas data est mulierculis, caeno immersis, aulam carceralem intrandi; quae quidem non tantum Missionariis illudebant, verum etiam blanditiis, nuditate, obscenis verbis foedoque se gerendi modo, dies noctesque, florentem illam illibatamque juventam corrumpere enitebantur... Omnes vero strenui, omnesque animi fortes et validi,

«... confessi Dominum steterunt
acriter contra fremitum latronum...» 3.

c) Extrema a Martyribus scripta exarata. — Cum per carcerarios officiose carcerisque rectorem publica auctoritate Martyres certiores facti sunt tempus appropinquare vitam pro Christo profundendi, tunc omnes sive verbis sive scriptis plurima maximi habenda scripta manibus suis reliquerunt. Ex quibus documentis —nonnulla saltem— legentibus libenti animo offerimus:

— «J. M. J. Vivat Christus Rex! Si Deus a me sanguinem postulaverit, libenter pro Congregatione et Hispania donabo. Tranquillo animo mortem obeo. Omnibus meis ignosco inimicis» (*Josephus Brengaret*).


— «Gaude, Congregatio dilecta, quia 58 filii tui intrant in caelestem Congregationem candidi ut lilia et flagrant caritate Dei et dilectione Immaculati Cordis Mariae Virginis» (*Raphaël Briega*).

— «Domine, dimitte illis, nesciunt quid faciant» (*Alfonsus Sorribes*).

— «Dilectissimi parentes, Martyr pro Christo et Ecclesia morior. Valete usque ad caelum» (*Aloisius Llado*).


— «Sacerdos atque Missionarius esse voluissem! Pro animis meam profundo vitam» (*Aloisius Xaverius Bandrés*).

Apud nos documentum authenticum, venerandum, gloriosum habemus quod inscribi potest:



d) «Donum ad Congregationem postremum». — Quod documentum et inceptum et clausum a scholastico Faustino Pérez, suscriptionem continet verbaque postrema —hispanice scripta— quae Martyres, vehementi amore, ardentique studio impulsí, ad Congregationem matrem mittebant. Quorum hanc perbreve accipe testimoniorum seriem:

3. *Peristephanon*, Hym. 44, v. 185 6.



— «Vale, Congregatio Martyr» (Faustinus Pérez).

— «Vale, Hispania Catholica!» (Josephus M.^a Ormó).

— «Salvete, Martyres» (Aloisius Escalé).

— «Vale, Barbastrum Catholicum!» (Emmanuel Buil)

— «Sanguis meus, Deus meus, pro Te et pro animis!» (Antoninus M.^a Calvo).

— «Cupio in caelo vitam traducere opificibus benefacendo» (Raimundus Novich).

— «Bone Deus! Nunquam hac tam singulari gratia dignum me esse cogitavi» (Franciscus Custán).

— «Pater, ignosce illis» (Aloisius Masferrer).

— «Salve, Summus Pontifex et Actio Catholica!» (Secundinus M.^a Urtega).

— «Salve, Congregatio sancta, vexata et martyr! Vivas immortalis, dilectissima Congregatio; et dum in vinculis filios, ut Barbastri, habeas detentos, ne dubites quin sors tua aeterna sit atque immortalis. Pugna-

re exoptaveram sub signis tuis. Gratias Deo agamus» (Faustinus Pérez).

III. «Christe, morituri te salutant».

— Inscriptio a Martyribus in ligno incisa. —

Segregatis tribus Moderatoribus qui, ut supra diximus, Martyrii palmam nocte diei 1-2 mensis Augusti assecuti sunt gloriosam, atque Scholasticis aegrotis Athanasio Vidaurreta atque Jacobo Falgarona qui ballista ignifera die 18 ipsius mensis occisi sunt quin vestigia superiorum Martyrum lumine collustrata reliquerint, oculos, lector humanissime, ad reliquos Martyres convertamus qui vehementissimo in Christum amore flagrant, preces ad Deum effundunt, verba postrema scribunt, totoque pectore canunt...

1. Die decimo mensis Augusti tertia fere vigilia exacta, communistarum manipulus, funium fasciculum manu tenentium, carcerale Scholarum Piarum conclave invadunt. Luminibus accensis, sex natu maximi descendere jubentur. Laeta fronte, oculis laetitia renidentibus, firmoque animo et constanti,

Patres Nicasius Sierra, Sebastianus Calvo, Petrus Cunill, Josephus Pavón, Dñus. Wenceslaus Claris Fraterque Gregorius Chirivás ex apparatu theatra-
li descendunt. Qui, constrictis manibus —dum animi eorum qui in custodia
remanebant vehementer concitabantur— ex aula educti, atque inter tumultu-
antem et curiosam plebem per «*Constitutionis Aream*» transeuntes, ad auto-
traham sarcinariam quae in via erat, se contulerunt...

Multae pyroballistarum ignivomarum emissiones, eos qui in carcerali
conclavi remanebant, gloriosam martyrii tragoediam —in coemeterio Barbastro
esse absolutam— significaverunt.

2. Nocte diei 13 mensis Augusti, alter juventae Claretianae manipulus,
proprio purpuratus sanguine, victor ad caelos evolavit, postquam per diem
—cum pro certo haberent se ea nocte, saltem magnam partem, morituros—
animos ferventissime, ut pro Christo sacrificarentur, paraverunt.

Haec habe, lector, quae martyr Faustinus Pérez nobis reliquit mirifice
scripta:

— «Diem, religioso silentio circumfusi, agimus, dum in mortem cras eventuram
nos paramus. Sacer tantum deprecationum rumor auditur in hoc conclavi quod gra-
vium nostrarum anxietatum testis est factus. Si loquimur id facimus ut animos exci-
temus ad mortem, ut martyres, excipiendam. Si vero Deo preces admovemus, id est ut
nostris inimicis ignoscamus».

Revera, cum in turris horologio commodum hora duodecima audieba-
tur, aulae carceralis fores, immoderate compulsae, apertae sunt...; et caterva-
tim frequens plebs —sanguinis necisque cupida— irruit...

Et ecce Marianus Abad —fossor ille scelerata vita famosus, causarumque
publicarum peritus— captivorum indicem —indicem «atrum» appellabant—
legit... et dum legit, summa voluptate affici videtur... Singuli vero Claretiani
Missionarii, cum nomen suum audiunt, aequissimo animo «Adsum» respon-
dent, et ex theatralem apparatu statim desiliunt...

Illam, qua ad martyrium Martyres vocabantur beatissimam horam ac
felicissimam, omnes exspectare videbantur ut —idque ex oculis gaudio sum-
mo micantibus certe apparebat— sui potestatem occisoribus facerent...!

Funibus vincti, dum a Patre Aloisio Masferrer ab omnibus vitae pecca-
tis absolvuntur, ex aula educuntur; tunc plaustrum autocinetum conscen-
dunt, dum clamores Martyrum et cantus cum impiis multitudinis clamoribus
miscentur et in tristissimam vallem et ab omni voce secretam, quae «*Sancti
Michaëlis*» dicitur, Barbastro tria distantem kilometra, convehuntur Mar-
tyres...

Ibi, sive genibus provolutis, sive brachiis expansis, ab occisoribus in-
terrogantur:

—«Si partibus fa vetis popularium, liberos vos facimus...».

—«Nunquam adversus Hispaniam multoque minus adversus Christum pugnatum
ibimus...».

- Vivat Republica...•.
- Vivat Christus Rex...•.

Qui postremi clamores manuballistarum emissionibus mixti sunt...

3. Festum Deiparae ad caelos Assumptas anniversarius dies, quo plerique se Deo et Immaculato Cordi B. M. V. erant consecraturi, viginti qui supererant Missionariorum martyrio constitutus est felicissimus dies... Media diei 14 nocte in conclave carcerarium —quod toties significavimus— irrupit, ducis jussu plebs varia; quae Missionarios Claretianos irridet atque percutit eosque vincit et ex aula educit. Dumque eos multitudo oculis infestis conspicit, dissonisque strepentibus adversus Christum area rebeat vocibus, Martyres compositi, oculis deorsum conversis, vultuque caelesti fulgenti laetitia, aream transeunt, autotrahamque sarcinariam ascendunt dum clamores, cantusque in Christum Regem et Immaculatum Cor B. M. V. per vias et per stratam non cessant, in Vallem iterum «*Sancti Michaëlis*» vehuntur ubi ad clivum, glandibus plumbeis transfixi, gloriosa omnes Martyrii palma coronati sunt. Omnes quidem mirae fortitudinis animique constantiae, sanguine effuso, testimonia praeberunt maxima sanctitatis summique honoris; ideoque gloriae coronam meruerunt incorruptam, quia

—•Nullus athletes sine certamine fortior dici
nullus sine victoria poterit coronari...• 4.


Antequam huic commentationi finem imponam, quam sentio quam sit exigua —Barbastri Martyribus «*munus... fictile*» diceres—, ex imo tamen corde eis dicatum, ne plura dicam, haec tantum asseram: Barbastri Martyres

—mirando pietatis exemplo et flagrantissimo erga Christum Regem et Immaculatum Cor B. M. V. amore refulsisse,

—ex animo iterum atque iterum occisoribus ignovisse,

—nunquam virtutem reliquisse, nunquam a castitate —tantis carnis illecebris prementibus— et a fide catholica defecisse,

—forti constantique animi tranquillitate moereres, et taedia et contumelias semper perpressos,



—sanguinem tandem —ut ex verbis et documentis quae attulimus manifestum est— in Fidei testimonium, pro Christo et animarum salute libenter profudisse.


Quae omnia, tu ipse, lector humanissime, cum hanc, quam de Claretianis Martyribus Barbastrensibus pepigimus, brevem legeris historiam et «*gesta fortia*», comperire plane poteris.

Ex quibus patet Martyres unum et quinquaginta Barbastri sacrificatos, decus esse Hispaniae atque Ecclesiae Catholicae et lumen fulgentissimum et exemplum...

Faxit Deus ut hoc «*victorum genus optimum*»⁵ brevi summa sanctitatis gloria decoretur,

«... quos nec catenae dura nec mors terruit
unicum Deum fateri sanguinis dispendio»⁶

JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.



5. *Breviarium, Hymnus ad Martyres.*

6. *Peristephanon, Hymnus 1, v. 22-3.*

NOVA ET VETERA

FABRI LIGNARII FERRAMENTA *

Hodie a lignario petemus officii ferramenta¹, non omnia tamen, sed notiora quae scilicet oculis cujuslibet facile occurrant, quamvis ligna minime tractet. «Fabricam materiariam² — ait Plinius — invenit Daedalus, et in ea serram, asciam, perpendiculum, terebram, etc.». Faber qui in ea laborat lignarius³ dicitur seu materiarius⁴ quia ligna seu materiam⁵ tractat. Materia seu materies latinis lignum significat juxta illud Columellae (*R. R.* V. 11, 1): «Cuneum⁶ inter corticem et materiam demittito». «Primi — scripsit Vergilius — cuneis (tantum) scindebant fissile lignum» (*Geor.* I, 144). Posterius vero instrumentum invenerunt dentatum quo ligna et lapides secantur et serra⁷ vocatur; ejus deminutiva sunt serrula vel serricula⁸. Serrago⁹ dicitur scobis seu fragmenta minutissima quae humi cadunt cum aliquid serra secatur.


Scobina¹⁰ utuntur lignarii ad ligna abrasenda sicut ferrarii¹¹ utuntur lima¹² quae tamen magis densis minutisque dentibus ornantur ad ferrum praesertim expoliendum. Differt tamen scobina a plana seu runcina¹³ majore qua ligna levigantur. Scobis enim pulvis est scobina vel serra vel terebra factus; ramentum¹⁴ vero particula crassior aut latior.

Adhibent etiam lignarii interdum securim¹⁵, quae est ferramentum lata acie¹⁶ ad modum hirundininae caudis, cujus usus lignis caedendis, cervici amputandae, antiquitus item in proeliis. Erant etiam apud Romanos virgarum fascis qui magistratibus praeferebantur, et in singulis fascibus singulae secures ad sumendum de reis supplicium, quod opus esset.

Quis non vidit frequenter terebram¹⁷ qua quid, praesertim lignum perforatur et sic excavat truncum ut non scobem sed ramenta etiam faciat? Terebramen¹⁸ dicitur foramen terebra factum.

Ascia¹⁹ vocatur instrumentum ferreum quo utuntur fabri lignarii ad ligna dolanda, ferrum habens latum et incurvum manubriumque breve ita ut tractari una possit manu. Simile huic est dolabra²⁰ ferramentum nempe ex una parte acie acuta, ex altera fossoria, longo manubrio instructum ad caedendum et perfringendum. Forceps²¹ adhibetur non solum a materiariis sed a ferrariis, chirurgis, aliisque plurimis fabris ad capiendum retinendumque. Differt a forfice²² qua filum, telam, pannos et alia hujusmodi incidimus; ejus deminutivum est forficula. Commune est pluribus fabris lignariis, su-

* His qui hunc PALAESTRAE LATINAE fasciculum legerint, lucubrationem quam *de fabri lignarii ferramentis* P. Joveus m. octobri, anno 1934, p. 11, PAL. LAT. edidit libenti animo offerimus, qua et facilitatem in scribendo et in ipsis rebus latine designandis peritiam statim advertent.



Verba rerum quae in imagine habentur

1. serra	<i>sierra</i>	6. malleus	<i>martillo</i>
2. serrula	<i>serrucho</i>	7. norma emendata	<i>cartabón</i>
3. scobina	<i>escofina</i>	(VITRUV. 9. 6)	
4. terebra	<i>barrena, taladro</i>	8. norma	<i>escuadra</i>
5. forceps, ipis	<i>tenazas</i>	9. runcina	<i>cepillo</i>
		10. runcina major	<i>garlopa</i>

toribus, lapicidis, chirurgis, agricolis, etc. scalprum²³ quo quidquam inciditur. Scalpellum²⁴ ejus deminutivum adhibent praesertim chirurgi ad aperiendas venas et secandas carnes.

Nihil de malleo²⁵ addam nec de circino²⁶, nec de norma²⁷, nec de runcina²⁸ quae est instrumentum plana minus, quo ligna aspera levigantur.

1. ferramenta	<i>herramientas</i>	15. securis	<i>hacha</i>
2. fabrica materiaria	<i>carpinteria</i>	16. acies	<i>corte</i>
3. faber lignarius	<i>carpintero</i>	17. terebra	<i>barrena</i>
4. faber materiarius	<i>carpintero</i>	18. terebramen	<i>barreno</i>
5. materia	<i>madera</i>	19. ascia	<i>azucla</i>
6. cuneus	<i>cuña</i>	20. dolabra	<i>zapapico</i>
7. serra	<i>sierra</i>	21. forceps	<i>tenazas</i>
8. serrula, serricula	<i>serrucho</i>	22. forfex	<i>tijeras</i>
9. serrago	<i>serrin</i>	23. scalprum	<i>escoplo</i>
10. scobina	<i>escofina</i>	24. scalpellum	<i>lanceta</i>
11. faber ferrarius	<i>herrero</i>	25. malleus	<i>martillo</i>
12. lima	<i>lima</i>	26. circinus	<i>compás</i>
13. plana, runcina major	<i>garlopa</i>	27. norma	<i>escuadra</i>
14. ramentum	<i>viruta</i>	28. runcina	<i>cepillo</i>

Andreas Avenarius S. V. D. colendissimo P. Joseph Mir C. M. F.

Quam tu nuper te exspectare scripsisti de nostro venerando fratre Joveo elucubratiunculam, eam statim Avenarius decrevit non scribendam; nam quid novi proferri potest a me praeter ea quae lectoribus olim *Almae Romae*, postea PALAESTRAE LATINAE, incognita sint? Emmanuel ille meus legebat, quae mea Fornarius ille in *Alma Roma* ediderat, et quodam anno in eadem *Alma Roma*, cum nullus dum *Candidatus*, nulla PALAESTRA prodiret. ad me litteras dare coepit, quod sibi, quae scripsissem et scriberem, probarentur. Ego gavisus invenisse ad quem referreni, ubi in novis nominibus alterius iudicio uti mallet quam niti meo unius, justam instituiamus epistularum vicissitudinem. E variis Germaniae locis ad eum proficiscebantur litterae meae. Memini quodam dominico die sedentem in Adiburgensi nostro (Adiburgum est *Driburg* = «*Zur I-burg*») gratulari Joveo et fratribus beatificationem Claretii Patris vestri. Qua ille epistula sic postea scripsit affectum esse, ut circumferret legendam fratribus.

Et jam coeperam esse fere unus ex vobis. Nam docuit me Joveus notum me esse discipulis suis et festum onomasticum meum ab illis concelebrari. Cum ipse concinnare coepisset *Candidatum* suum et ego percontatus essem, qua mihi pateret ad eos internos libellos accessus, in pagina 32 ad calcem respondit: nullam aliam viam esse quam pristinam, eam, qua jungeremur, amicitiam. Quam amicitiam postea in libelli 15 pagina 94 Emmanuel scribit usque ad extremum spiritum et ultra mansuram esse.

Hic ego totam PALAESTRAM percurrens reperio immodestam proprie esse scriptorum meorum multitudinem. Apertis etiam conglutinationibus prioribus, quae apud me sunt, *Almae Romae*, quam multas epistulas video datas a me ad Joveum, ad me ab Joveo! Anno 1925 in pagina 67 haec scripsit verba: «Cottidie video penitioem inter nos commiseri concordiae et voluntatis sensum. Id aequum est pulcherrimae latinae linguae tribuere, quae primis Ecclesiae saeculis a Jesu Christi discipulis unctionem illius Christianae caritatis mutuata est, qua cor unum erant et anima una». Hac affectione amoris ductus Emmanuel appropinquante argenteo sacerdotii mei jubileo Avenario inopinanti atque invito totum fasciculum (38) inscripsit.

Perscrutans autem *Almam Romam* et PALAESTRAM miror plane quam fecundus fuerit noster ille amor latinitatis. Tam multis annis nihil celavi Joveum rerum mearum; nam si digitus doluit, si tractandus varix fuit, si mutanda sedes, scire volebam Emmanuelem, cui meae «ingenuitati» respondebat Joveus. Re autem vera non eramus bucinatores ineptiarum, sed ostendebamus communia vitae etiamnunc latine concipi posse, latine enuntiari.

Ergo ille jam viginti quinque annos cum quatuordecim discipulis, fugae sociis et martyrii, fruitur lumine gloriae. Magnopere gavisum puto cum in Deo, per quem et in quo sunt omnia, videret suum opus, Latinos PALAESTRAE commentarios, triennio fere interruptum, a suis in religione fratribus et amicis redintegrari. E sua sede caelesti vidit suum Avenarium profectum Romam in annos tredecim, contendentem quam primum Albanum ad suum discipulum Sarmiento, contemplantem in sede suae Congregationis imagines martyrum Hispanorum, cum duobus fratribus suis lustrantem hortos Castelli Gandulfi, non ita raro illis annis loquentem cum eo, quem ipse bene nosset, P. Schwientek, postremo salutantem recenter electum Moderatorem summum suae Congregationis, reverendissimum P. Petrum Schweiger, ipsius Avenarii popularem. Quodam anno, fuerit annus 1940, sedebam in ecclesia Collegii Urbaniani festo Epiphaniae die. Nam invitati eramus ad diversorum rituum celebrationes et sollemnem Missam Romanam subsequentem. Exspectanti in postremo scamno propinquant clerici, quorum unus modeste pudice, que me interrogat: Tunc Avenarius es? «Sum», inquam, et ille se Claretianos esse dicit. Ego, ut in ecclesia ad sacros ritus utique homo Germanus, tum quidem supersedi longiusculum subtexere sermonem, sed postea dolui, quod non interrogassem etiam, ubi habitarent boni adolescentes, quomodo in suspicionem Avenarii venissent. Illi fortasse Albano Romam redierant, cum sedes illa explosivo pulvere funditus deleta esset. Si exstent qui recordentur de fortuito illo concursu nostro, hi sibi persuadeant mihi etiam post viginti annos et amplius aegre esse, quod me non deduci ab iis in suam habitationem jusserim, nam esse postea Claretianis in illis partibus viae Aureliae convictum repperi, qui, ubi sit, sic me praeteriit.

Interea anno trudente annum sacerdotii mei hic agitur quinquagesimus secundus annus, aetatis septimus et septuagesimus. Illa vetera, etiam romana, ut somnium evanuerunt. Quae secundo, quae tertio decennio hujus saeculi fuerint reminisci coepi his diebus legendis vel potius relegendis reciprocis meis Joveique epistulis. Quid ille non effecturus erat, si ad terrestrem aetatem hos viginti quinque annos addidisset? Ego certe memor amici quamdiu potuero non cessabo moderate scribere pro re tam praeclara, tam celsa, tam augusta, quam uterque nostrum, ille in Hispania, ego in Germania inde a pueris sibi suscipiendam et tuendam statuerat. Vale,

Thyrsirutis (*Tirschenreuth*) Superioris Palatinatus,
V Idus Sextiles a. 1961.

P E R I S T E P H A N O N

(P. Emmanueli Jové Magistro et 14 discipulis meis qui quinque et viginti abhinc annis, bello hispano, communistarum odio et saevitia perempti, pro aris et focis, sanguinem suum fuderunt, carmen.)

Abditis terrae latebris revulsa
Ut lues silvas lapidesque quassat
Atque dejectis ruit in profundum
 Improba saxis;

Inscios torquet furiosa cives,
Tangit inmanis pecus omne terror,
Sternitur latis ubique campis
 Plurima clades.

Quinque sic lustris memoranda nobis
Magna saevorum series malorum
Ingruit belli rabies iniqui
 Litori ibero.

Vocibus blennis tumefactus ora
Ausa ter sanctum maculare nomen
Et soli laudes patrii, scelestus
 Infremit hostis;

Cuncta subvertit monumenta patrum,
Rite sacratum fidei sacellum,
Multa jam dirae cumulare gestit
 Crimina mortis;

Damna et ingentes meditatus ignes
Civium tectis opibusque gentis,
Cui super caelo vitiosus addit
 Acrior iras.

Robore insignes alios et armis
Sive praeclaros pietate multos
Sive non partis meritis procella
 Vexit olympum.

Cultor inprimis fidei supernae,
Pacis et cordis benesuadus auctor,

Corde cui semper renovata perstant
 Jura sodalis;

Fretus integris animis Joveus
Dux gregis factus, sibi sorte fisos
Calle bis septem socios negato
 Devia montis

Tendere et notas salebras parabat,
Certus in plumbum gladiosque strictos,
In feras mortes gradibus citatis
 Conscius ire.

Obvium inmitis lupus hincit agmen
Faucibus siccis rutili cruoris,
Seque tortori generosa prodit
 Victima taetro.

Carnifex urget laniatque captos,
Torvus horrendos minitatur enses
Forte si pectus juvenum flagellis
 Flectere possit.

Caedit incassum! Crucis ille plaga
Tundit et torquet lacerata membra,
Manat ad terram liquido pudicus
 Flumine sanguis.

«Signa calcabis pede christiani
Si diu lucis reliquum manendum,
Si queas prudens pueris acerbum
 Pellere funus».

Martyr obsistit monitis minisque
Seque facturum facinus negavit:
«Haec prius pessum resecaenda paenis
 Vita prematur».

«In Deum cautus jaculare summum,
Virginem probris onerare verbis
Perfer et sit fas retinere sartam
Cuique salutem».

Una mens cunctis rata Candidatis!
Una Reginae Dominoque virtus!
«Militaturi, volumus cruorem
Fundere totum!».

Tortor indignans animum tenacem
Odio frendet, steriles per agros
Ecce bis septem videas recisa
Corpora plumbo.

Nobiles palmas chorus angelorum
Concinit vectas liquidum per aether,
Et gregis latum volat inmolati
Fama per orbem.

Tunc ubi nullo viret herba cultu,
Arva ubi squalent lapidosa fructu,
Rore conspersus nitet hostiarum
Undique campus.

Fertur et laetas segetes venire,
Frondebis siccum viruisse lignum
Hinc ubi parvo jacuere caesa
Ossa sepulcro.

Quem pius servat peregrinus agrum
Inclito sacrum procerum tropaeo,
Nunc modo vernis foliis operta
Laurus obumbrat.

Mira quin signis redimita caeli,
Quam suis nectit Deus ipse servis,
Martyrum claro rutilat triumpho
Apta corona.

Nocte sub sola numerosiores
Dum micant ignes per aperta sudi,
Lucidum fratrum radiare credas
Lumine sidus.

Testibus Christus diadema donat;
Patria exsultat decorata laude;
Casibus vires columenque nostris
Hausimus omnes.

Vosque, victores, decus omne terrae,
Alta queis sedes meritaque palmae
Cernite expertos peracerba belli
Numine laevo.

Quique felicem super astra vitam
Temporis mensis agilis periculis
Mite jam fractis animis sodalis
Ferte levamen.

Raimundus Sarmiento, C. M. F.

Bonis Auris, in Argentina, idibus majis.

AUGUSTUS

Augustus (*Gajus Julius Caesar Octavianus*), in suo *Indice rerum gestarum*, ante Romanorum oculos ponens omnia quae egerat dum eum rei publicae cura tenebat gravibus sollemnibusque verbis, haec inter alia scripsit: «...In consulatu sexto et septimo, postquam bella civilia exstinxeram, per consensum universorum potitus rerum omnium, rem publicam ex mea potestate in senatus populique romani arbitrium transtuli. Quo pro merito meo, senatus consulto, Augustus appellatus sum...»¹.

Index rerum gestarum, simul cum testamento quod vulgo dicitur politico, ab ipso imperatore factus est, ante annum et quattuor menses obitus sui in urbe Nola anno XIV p. Chr. n. «in cubiculo eodem quo pater Octavius, duobus Sextis, Pompejo et Apulejo, consulibus, decimo quarto calendas septembris, hora diei nona, septuagesimo et sexto aetatis anno, diebus quinque et triginta minus»².

Index qui mortuo Augusto in duabus aeneis tabulis incisus est, ante mausoleum in Campo Martio, inter Flaminiam viam ripamque Tiberis positus, nobis rerum gestarum memoriam magni momenti ad Romanorum historiam affert. Atque nos, retro respicientes, ad diem illum mensis Januarii a. XXVII a. Chr. n. ducimur, cum senatus, omnium consensu, Octavio, qui pontifex maximus, augur, quindecimvirum sacris faciundis, septemvirum epulorum, frater arvalis, sodalis Titius, fetialis fuerat, cognomen *Augusti* detulit.

Dio Cassius, vitae aetatisque primi imperatoris Romanorum historicus, docet nos quo modo Octavius, consul cum Vipsanio Agrippa, uno ex amicis ejus fidelissimis, sub specie rei publicae restituendae, imperium singulare sollerter instituit.

In senatu, die tertio decimo mensis Januarii anno XXVII p. Chr. n. convocato, Octavius, septimum consulatum gerens, postquam de pace et rei publicae securitate diutissime locutus est, simulata mente nuntiavit se in animo habere imperium deponere ac negotiis publicis se remove.

Oratio, quam tunc in senatu habuit, quamque apud Dionem Cassium scriptam videmus, hisce verbis incipit:

1. CONCEPTA BARINI, *Res gestae divi Augusti ex monumentis Ancyrano Antiocheno Apolloniensi*, Romae, Typis Regiae Officinae Polygraphicae, p. 50.

2. SUET., *Aug.*, C. 1.

«Satis compertum habeo, patres, fore ut nonnullis vestrum incredibile propositum meum videatur. Quae enim nemo facere ipse velit, ea si alium se facturum dicere audiat, nequaquam fidem habet. Quo accedit, quod quum superioribus omnes invideant, iis de se ipsis loquentibus eo promptius diffident...»³.

Haec verba patres, qui naturam atque indolem filii sororis magni Julii Caesaris atque ejus cupidinem dominandi cognitam habebant, in summam expectationem adduxerunt. Alii, ab Octavii amicis bene preparati, aut dictatoris largitionum memores, Caesari plausum impertiverunt; alii, qui ejus verbis non diffidebant, admirabantur. Paucissimi vero de Octavii proposito suspicabantur.

Caesar autem tranquille perrexit:

«Verum nolo vos diutius verbis meis suspensos tenere, neque dicet quisquam, omnia quae ante hoc tempus egi, esse a me ad summum imperium parandum facta. Jam enim id imperium omne depono, restituo vobis omnia protinus, arma, leges, provincias; neque ea tantum, quae mihi commisistis, sed haec etiam omnia, quae vobis ego deinde paravi...»⁴.

Maxima erat in curia expectatio. Patres, inter se despicientes, nesciebant quid de Caesaris verbis cogitarent. Multi vero Octavium dicentem frequenter interpellabant atque obtestabantur ut solus rem publicam gereret...

Denique Caesar ad hanc ejus orationis partem venit:

«Quando igitur fortuna favens pacem sinceram ac concordiam tranquillam vobis mea opera restituit, recipite jam nunc et libertatem, et popularem rei publicae formam: accipite arma, gentesque verbis subditas, et veteri more rem publicam gerite...»⁵.

Haec postrema verba patrum animos permoverunt, cumque, paulo post, Caesar dicendi finem fecit, patres, aut conscientia aut metu aut commoditate, vehementer precati sunt ne imperium deponeret saltem priusquam Parthi devincerentur.

Eodem die stipatoribus stipendium duplicari decretum est ut Caesar omnes curas in rei publicae salute defigeret. Et ita mortua est res publica romana.

Proximo senatu, qui fuit die vicesimo sexto ejusdem mensis, patres, fortasse Munatio Planco auctore, Octavio, orbis terrarum pacificatori ac libertatis restitutori, *Augusti* cognomen, quo quidquid veneratione et honore dignum est significatur, maximo consensu detulerunt. Primum Romae id cog-

3. *Cassii Dionis Cocceiani Historiae Romanae cum annotationibus Ioannis Alberti Fabricii et nonnullis aliorum*. Hamburgi, Su mtibus Christiani Heroldi, CIO IDCC LII, p. 698.

4. *Ib.*, LIII, 4. 3.

5. *Ib.*, LIII, 5. 4.

nomen, quo etiam religiosae res et sacrae designari solebant, civi cuidam inditum erat.

Ab Augusto ordo imperatorum romanorum originem duxit, quorum primus, clarissimus omnium sed forsitan infelicissimus, *Caesar Octavianus Imperator* appellatus est. Is, ut ait Camillus Julianus, scriptor gallus natione, insignis vir fuit, qui domi unius dominationem atque extra domum Imperium Romanum condidit, quod per sex saecula inter omnes populos eminuit.

Hac arte Augustus, qui titulum regium, quem apud Romanos esse invidiosum sciebat, semper vitaverat, animum omnino expleverat ac sibi summum paraverat imperium.

Senatus jussu, postes aedium quas Augustus in Palatio habitabat, quaeque, ut apud Suetonium scriptum est, neque laxitate neque cultu conspicuae erant, laureis vestiti sunt, et super januam corona querna fixa est, quo Augustum perpetuum hostium victorem, ac civium servatorem esse significabatur⁶.

SILVIUS BAPTISTA PEREIRA

6. *Ib.*, LIII, 16. 4.

De Augusto imperatore

Magnae molis opera magnos postulant opifices. Quemadmodum enim ad degeneratum regnum Babylonicum destruendum providentia divina finxit Darium et ad condendum Hellenismum Alexandrum Magnum, ita ad condendum Romanorum Imperium Augustum. Antequam de eo fuse dicamus, proponendum videtur, quibus de causis res publica romana in monarchiam transierit vel potius acta sit.

Duces militares romani, postquam tria bella punica feliciter confecerunt, paulatim deinceps majorem orbis partem sub potestatem redegerunt, sed fundamentum, quo summa administratio nitebatur, mansit idem nec se, quod constitutionem spectabat, ad res auctas et mutatas accommodavit. Constabat antiquitus summa administratio sive magistratus ex senatu, binis consulibus, censore, aedili, praetore, curia (populo). Jam ipse senatus, quamdiu Roma reges habebat, ex centum civibus, ineunte re publica ex trecentis, in finem vero vergente ex sescentis constare solebat, quorum pars minor nobiles seu optimates. Cogere senatum consulis, praetoris vel tribuni plebis erat. Primus verba faciebat «princeps senatus». Relatione ad senatum facta postquam omnes sententiam rogati — «quid censes?— dixerunt, ad «dissensionem» ventum est. Discedebant enim in binas partes, «pro aut contra». Quamdiu senatores integri erant et officii summi ponderis memores nec suum magis quam civitatis bonum quaerebant, res publica floruit.

Sed cum, ut in rebus vel optime compositis accidere solet, officio sacro abusi res suas civitatis emolumento praeferre coepissent, rem publicam in summum vocarunt discrimen. Specie enim summa potestas penes populum manebat; re autem vera senatus inde a bellorum punicorum initio Romae et per Romam orbi dominabatur. Idemque non solum populi sibi sumpsit potestatem, sed omni ope conatuque id spectabat, ut et populum sibi subderet et tribunos plebis, qui non de familiis patriciis essent, a magistratu arceret. Dominabatur, ut et hodie in «democratiis» videre licet, «oligarchia». Inde quid mirum erat, quod divitiae, gloria, potentia pro honoribus habebantur, virtus vero prisca romana vilescebat, paupertas notabatur ignominia? Immo haec «plutocrazia», cum coloni et agricultura bello potissimum secundo punico summa accepissent damna, agros plurimos in media Italia coemit eosque in pascua commutavit et Italiam per servorum ministeria in extremum adduxit periculum. Frustra Gracchi fratres, ipsi nobiles, hoc periculum defendere, frustra colonos miserimos adjuvare studebant. Occubuere! Nec ipse Marius Magnus, plebejus, adversus Sullam nobilem quicquam effecit. Sulla enim anno LXXXII a. Chr. fictis comitiis dictator «legibus scribundis et rei

publicae constituendae» est creatus. Triennio post cum potestas senatus satis firme restituta esset, e scaena politica privatus recessit. Vixque recesserat, cum iterum bellum civile exarsit: Pompejus Magnus et Caesar de summa coeperunt certare potestate. Atque victor exstitit posterior, qui ab initio dictaturam clam appetierat. Idemque testamento constituerat, ut Gajus Octavianus, filius sororis natu minoris, et juris familiaris et heres esset. Jam Octavianus in conspectum venit.

Enimvero Caesar, gentem suam perpetuandi percupidus, Octavianum natum anno LXIII a. Chr. ubi primum togam virilem induit anno XXXXVIII pontificem nominavit ac biennio post honoribus militaribus ornavit et, cum triumphum Africanum ageret, permisit, ut Octavianus, licet bello Africano non interfuisset, post ipsum triumphantis currum incederet eodemque anno eum «ludis graecis» populo pergratis praefecit. Volebat enim filii sororis nomen ac famam ubique pervulgari et in dies magis clarescere. Jamque mater, eo quo Caesar sicis occubuit die Octavianum jussu Caesaris Apolloniae degentem Romam evocavit. Venit igitur privatus, annis quidem adulescens, ingenio tamen politico jam tum superior inique viam, quae aliquando ad dictaturam ac principatum esset ductura. Nec vix credendum est senatum anno postero Octaviano imperium exercitus recens coacti et «titulum pro praetore» detulisse atque decrevisse, ut ei statua equestris in foro erigeretur, quod intra tria saecula tantum Sullae, Pompejo, Caesari contigerat. Praeterea permisit ei, ut decem annis ante tempus ordinarium exactum expeteret consulatum. Nec multum cunctabatur adulescens ille. Nam ipso die 7 Jan. Spoletio Umbriae se «novae dignitatis» honoribus ornavit: die «monarchiae natali». In ara enim Narbonensi Augusto dicata insculptum legitur: «Die 7 Jan. anni 43 orbi dominari coepit». Paucis post mensibus arma, quae a senatu ad Antonium suppressendum acceperat, contra ipsum vertit senatum. Versatus enim tunc aetatis in Gallia cisalpina consulatum a senatu postulavit. Qui cum negasset, Octavianus ut olim Sulla cum octo legionibus Romam profectus est. Atque die 19 Aug. consulatum ex senatu conterritio extorsit et effecit, ut, quod Caesar testamento constituisset, ipse filius ejus adoptaretur et interfectores Caesaris a tribunali singulari damnarentur. Ergo adulescens vix viginti annorum unius anni spatio tantam sibi arrogavit potestatem, ut jam ipsi rei publicae de libertate esset decertandum. Quae decertatio, qualem habitura esset exitum, nemo erat quin nesciret. Die 27 Jan. Octavianus a Titio tribuno plebis impetravit, ut ipse, Antonius Lepidusque «triumviri rei publicae constituendae» nominarentur. Qua potestate summa eis licebat rem publicam nove constituere, magistratum nominare et omnia facere non consulto senatu aut populo. Sanctum quidem fuit, ut haec summa potestas die 31 Dec. exspiraret, sed Octavianus eam in annum vicesimum septimum retinuit.

Suppressa igitur rei publicae libertate triumviri, ultores Caesaris, omnes

adversarios, libertatis amantes: centum et triginta senatores in iisque ipsum Ciceronem et duo ordinis equestris milia proscriptionibus caedibusque interfecerunt. Sed Octavianus ficto «ultoris Caesaris» nomine id arte et dolo obcultabat, quod ab initio appetierat: dictaturam. Cui exsequendo duo adversarii cum exercitu valido obstabant: Pompejus de re publica optime meritus et Antonius. Prior pugna navali apud Naulochum facta, posterior apud Actium est victus. Quibus e medio sublatis cum omnes Italia continuis bellis civilibus devastata pacem ardentissime desiderarent, jussu senatus die 11 Jan. anno XXIX a. Chr. templum Jani, quod in bello patere solebat, tandem est clausum. Jam videamus, qua via Octavianus processerit.

Die 13 Jan. decreta a constitutione aliena suppressit omnemque potestatem senatui reddidit. Quam abdicationem omnes habuisse sinceram ex Horatii carmine lyrico 1, 2 patet. Mansit Octaviano potestas tribunicia et proconsularis; detulit ei senatus «imperium provinciarum in decem annos», potestatem vere summam. Caesar rem publicam aperte in monarchiam vertere studebat ideoque sicis pristinae libertatis amantium occubuerat. Sed Octavianus, ut erat callidus et tectus, scopulum hunc periculosum praetervehi in animo habebat. Inveniebat enim novam civitatis formam, quae servato quidem rei publicae nomine tamen sensim ad «summam potestatem» duceret. Etenim si aperte fecisset, omnium odium subiisset. In monumento Ancyrano declarat se post pugnam apud Actium anno XXXI factam «per consensum universorum principem civitatis summam administrationem suscepisse». Anno XXII celeberrima illa «inter principem et senatum» divisio potestatis (dyarchia) est facta, quae aetatis subsequentis fundamentum esset futura. Divisae enim sunt provinciae in decem senatorias et septem imperatorias. Senatui tradidit pacatas, scilicet ut senatus gratiorem et faciliorem administrationem haberet; ipse suscepit potentiores et periculosiores. Quae divisio Octaviani augebat potestatem, minuebat senatus. Tantum enim ipse collocatas in provinciis legiones habebat earumque solus erat imperator, cui jure centuriones majores nominare delectumque habere licebat. Praeterea dixit —significans Caesaris perennem dictaturam— se summam potestatem ad tempus tantum suscepisse et senatui redditurum, si rei publicae status permisisset. Perpetua enim officia contra rem publicam pugnare nec se ullo modo regnum appetere velle. Nomen enim «regni» omnibus summe odiosum erat.

Hic aliquid memorare juvat. Inerat in Octaviano vis quaedam arcana sive «charismatica», qua inter omnes coaequales alte eminebat. Etsi ejus tunc aetatis status ex singulari auctoritate proficisci videbatur, quae rei publicae traditioni omnino conveniens erat, tamen, quo diutius ipse regnabat, eo magis cum ipsius persona coalescebat et magis magisque in institutam transibat. Quod ex crebra et quasi usitata formula: «me principe» (Mon. Ancyr.) patet. Itemque ex «Augusto», quod nomen senatus, quo neminem ante ho-

nestarat, ei d. 16 m. 1 anno XXVII dedit. Titulus ille: «Imperator, Caesar, Divi Julii Filius Augustus» a communi, quae tunc apud Romanos vigeat appellatione non quidem abhorrebat, tamen singulare quid et extraordinarium prae se ferebat. Nam de Imperatore Augusto factus est Augustus Divi Julii Filius. Exinde Augustus togam purpuream et coronam auream gestare coepit, quo significaretur eum esse Imperatorem atque deorum voluntatis instrumentum. Idemque ut «principatum» religione stabiliret, «cultum» Caesaris in morem induxit viamque «Imperatorum consecrationi» stravit.

Jam juvat Caesarem cum Augusto paucis comparare. Prior dictator statuam suam in templis collocari curavit, posterior dum vixit nec deum vocari nec statuam in templis collocari voluit; impedire tamen in posterum non potuit. Nam antequam Caesar et Augustus de dominatione monarchica cogitassent, gentes praesertim orientales duces de patria optime meritos in loco «Servatorum» habebant. Hinc facile intellegitur Augustum, qui bella civilia per tot decennia Italiam dire vastantia suppressisset, a populo tanquam deum, qui de caelo descendisset, ut pacem orbi afferret, esse habitum. Caesar imperii fines ulterius proferre et totum orientem et occidentem ut olim Alexander in unum conflare regnum volebat; Augustus vero suum esse sapienter censebat imperium romanum tot victoriis dilatatum defendere et stabilire, pacis non belli auctor. Idemque non victor dominari, sed regnum juste administrare gestiebat. Quare non sine justa causa aut necessitate coactus ulli genti intulit bellum nec gloriae inhiavit militari nec ullum gessit bellum, nisi prius persuasum habuisset commoda inde et non damna exortura. Idcirco cum anno XXIX ex oriente redisset, senatui «orbem esse pacatum» dixit ac testamento cavit, ne successorem fines imperii ulterius proferrent. Caesar condendum totius orbis regnum romana-graeca cultura contineri volebat; Augustus vero a principio populis ope gentis Italicae dominari. Prior ab urbe Alexandria aut Ilio regnare in animo habebat; posterior Romam centrum esse volebat. Praeterea regnum «monarchia», utpote forma rei publicae «proprie romana» cinxit. Parebat enim priscae illi quasi conscientiae historicae tam alte insitae in ingenio romano, a graeco tam mobili multum alieno. Cum anno XXVII a. Chr. in colle Capitolino positum est «miliarium aureum», unde omnes viae militares— summa earum plusquam octoginta milia chm.— initium sumebant atque in quo, quantum potiores urbes imperii ab Urbe distarent, erat insculptum, Romam iterum centrum esse factam omnibus innotuit.

Longe protendebantur imperii fines et incursionibus gentium infestarum, quae trans Rhenum, Danubium et Euphratem incolebant, patebant. Quare anno XXV a. Chr. gentes «liquot Helveticae victae et in potestatem sunt redactae. Item anno XVI gentes Celticae in Raetia et Pannonia. Oppida condita et viae militares stratae: instrumentum celeberrimum et summa confectum arte, sine quo Roma orbem per tot saecula continere vix potuisset.

Cum gentes Celticae iterum in arma consurrexissent et anno XVI Rhenum transgressi Galliam devastassent ducique romano Lellio gravissimam intulissent cladem, eas Augustus debellare coepit. Eodemque anno Drusus exercitum Rhenum trajecit, per horridos Germaniae saltus ad Visurgim flumen penetravit et secundum Rhenum quinquaginta castella communivit. Cui praematura morte extincto Tiberius, dux militaris summus, successit et opus inchoatum feliciter perfecit, non injuria Germaniae dominator appellatus.

Confiniis igitur pacatis et pacis tuendae causa legionibus ibi collocatis—in ipso regno spatioso nullae erant— Augustus in finibus, qui oppidis urbibusque carebant, civitates romanas condidit: in sola Hispania quinquaginta; in Gallia inter alias Lugdunum, in Helvetia, Raetia, Norico, Moesia, Pannonia, Asia, Africa. In iisque colonias militares collocavit. Hinc factum est, ut plurimi coloni, mercatores, negotiatores et argentarii Italici eo immigrarent. Nec vix dici potest, quantum emolumentum quantique fructus inde gentibus illis provenerint. Idemque quo artius sibi provincias jungeret, aras tanquam centra sacra iis locis erexit, quibus aliquem de nobilissimis provinciarum hominibus praefecit, cujus esset et pro ipso Imperatore sacrificare et postulata provinciae ad ipsum deferre. Notissimae erant arae Lugdunensis, Ubiorum Coloniae, Vindelicorum, Thessalonicensium. Aris praefecti cultum imperatori tribuere debebant.

Augustus ope exercitus princeps est factus. Quapropter in rebus nove componendis exercitui suum tribuit locum. Pacatione enim sibi adstrinxit, qua et jura et officia lucide circumscriberet. Olim in re publica penes senatum jus erat copias colligere, bella gerere et majores centuriones nominare. Quod Augustus abolevit. Sibi imperatori legiones sacramentum dicere atque parere debebant. Quondam, cum res publica vigeret, ubi bellum exarsit, milites e civibus eligi et confecto bello ad sua redire consueverant. Augustus contra constituit, ut certa militum manus in armis permaneret et bello exorto non solum cives romani sed etiam provinciales—auxiliares— stipendia facerent. Eligebantur e Gallia, Germania, Illyria et Syria potissimum et tempore militiae exacto civitate donabantur. Ita legitima inter cives romanos et provinciales differentia paulatim est suppressa et gens Italica ceteris dominari desiit. Caesar legiones viginti habebat, Augustus duodeviginti, quas postea septem aliis auxit. Legioni omni «legatum legionis» praefecit, quem e gente senatoria esse et praefecturam gessisse oportebat. Senatores autem, ne quid amplius in re militari valerent, ex his officiis excludebantur. In sua enim potestate exercitum habere volebat. Severam adhibebat disciplinam militarem nec ipsos legatos legionum nisi hieme uxores convenire patiebatur. Legionarii annos viginti militare debebant, auxiliares vero quinque et viginti; sed cum iis nullum dimissionis esset jus, militia nonnunquam triginta, immo quadraginta tenebat. «Praebete militibus satis alimentorum, ne inopia adducti bona aliena rapiant; continete eos severa disciplina, ne intemperantia

mali quid faciant». «Quod anno XXVII coram senatu dixerat, id in exercitu nove temperando est exsecutus».

In Urbem quasi in rerum caput variae imperii gentes confluebant et vitia sua importabant. Unde populi romani integritati periculum degenerandi haud leve nascebatur. Quare Augustus populum romanum sincerum atque ab omni colluvione servilis et peregrini sanguinis incorruptum studebat servare. Rarissime aliquem civitate donabat nec ipsi uxori Liviae, alicui Gallo civitatem ab ipso petenti, cessit.

«Roma sibi orbem subiecit eo quod et singulorum et totius populi vita plurimum religione nitebatur» (POLYBIUS, rerum scriptor summus). Quod probe ratus Augustus praeter civitatem nove temperandam id omni contentione agebat, ut pristinam religionem cultibus orientalibus pollutam renovaret et praecipuam imperii partem faceret. Renovavit «sacralitium fratrum Arvalium» et cultum «Larum Compitalium». Marti Ultori splendidissimum in foro Augusto excitavit templum. Numerantur octoginta templa, quae aut construxit aut renovavit.

«Aetas Augusti» tantum splendoris fastigium non ascendisset, nisi summis floruisset vatibus. Nec tamen floruisset, nisi arma siluissent. Nam inter arma Musae silent. Compescuit autem arma Augustus. Ita effecit, ut Musae canerent. Cecinit Vergilius sortem romanam ab exordiis usque ad Augustum ejusque imperium quasi absolutionem historiae romanae ipsumque Augustum summarum angustiarum servatorem. Ita nomen romanum perpetuavit. Horatius, a pugnis canendis alienus, domum Juliam, cui di faverent, laudavit; idemque Augusti justitiam, integritatem, pietatem, mentem aequam, disciplinam. Coluit Tibullus pietatem, animi, tranquillitatem et aequitatem. Livius res gestas ab Urbe condita usque ad Augustum copioso amplexus est opere. Floruit Ovidius Metamorphosis carmine splendidissimo, fastibus aliisque. Nec deerat Vitruvius, architectus et machinator nec Terentius Varro, primus «Encyclopaedista» nec Strabo, illustrissimus geographus.

Tandem venimus ad ipsum Augustum. Specie fuit pulcherrimus, quavis aetate exellebat magna venustate, vultu tranquillo et hilari. Aptam membrorum compositio parvam occultabat staturam. Vox sonora, orationes stilo simplici praestabant, delectabant verborum elegantia et argumenti perspicuitate, ab omni arte simulata et quaesita alienae. Ipse, corpore aegrotum et debile, bella potius fugiebat quam quaerebat, in omni vitae genere modicus et parcus, in agendo lentus, consideratus et circumspectus. Ideo ejus tessera: «Festina lente». Quamquam ex tempore dicere poterat, tamen ad senatum ac populum nisi oratione praemeditata et accurate scripta verba non fecit. Ne aut oratio e memoria excideret aut ipse ediscendo tempus perderet, omnia de scripto recitare solebat. Immo, cum de gravioris ponderis rebus verba faciebat, antea cum aliis deliberabat atque notabat, ne aut plus aut parum diceret. Qua cautione et cunctatione effectum est, ut ejus ingenium, naturam

paulum perspicuum, ab aliis simulatum ac fictum haberetur. Nolebat se Dominum appellari, ne a liberis nepotibusve quidem.

Mentis acumine et instinctu quodam politico, quid dotibus suis valeret et quid pro temporibus fieri posset, bene intellexit nec tam populi favor quam ejus salus ei maxime cordi erat. Publicam, ut ita dicam, hereditatem, quam acceperat et cui servandae augendaeque tot incommoda pertulerat et tot fortunarum jacturas fecerat, summa fide et sincera administravit, verus pater patriae. Ut paterfamilias legata populo exercituique danda vivus constituit testamento. Imperii salutem praetulit familiae. Eaque de causa filiam Juliam non modo ex Urbe eiecit, sed etiam pristina severitate ductus romana eidem annua abrogavit et sic effecit, ut omnibus destituta rebus in exilio moreretur.

Bella gesta ejus ingenium temerarium et acerbum sensim temperabant. Atque cautio ejus et circumspectio, quas in principatu capessendo adversus competitores adhibuerat, multum temptabantur. Nec «energia», qua, corpore licet infirmo et in otium prono, tot et tanta gessit, minore laude digna. Nam imperator factus multos annos in perlustranda finium occidentali et orientali parte consumpsit et senex, mortuis Agrippa et Maecenate adjutoribus eximiiis, solus summi ponderis negotia absolvit. Idemque, ab omnibus paene minoris aestimatus, suspectus multis, ab adversariis odio licet habitus, ingenio hominum mores et tempora perspiciendi hominesque sibi devinciendi tam dextere utebatur, ut singulis superior, vulgi dominus, princeps summe consideratus et cautus diceretur. Ac forti animo omnes nascentis imperii difficultates superavit et ad tempora resque politicas mutatas facile se accommodavit. Ita effecit, ut in re publica sensim in monarchiam mutanda ipse specie quidem senatui populoque pareret, re autem vera dominaretur.

Quamquam in praeclaro monumento Ancyrano, quo gesta sua est amplexus, ea, quae Agrippa et Maecenas in constituendo et stabiliendo regno fecerant, silentio textit, tamen ut res ferebat, grato erat animo. Virtutem pristinam, pietatem, justitiam faciebat suam. Atque jus romanum tantopere laudatum diligentissime colebat et ipse jus in multam noctem dicere consuevit et, cum male valebat, vel e lectica pro tribunali vel domi e cubili. Ejusque judicia ratione, consilio et magna clementia excelebant.

Omnibus, qui magno pollebant judicio, persuasissimum fuit et principatum Urbis et orbis imperium necessario esse eandem notionem seu ideam et unam eandemque auctoritatem.

Regnavit Augustus annos quattuor et quadraginta; ejus autem leges et instituta, quibus imperium instruxerat, duorum quae subsecuta sunt saeculorum fundamentum firmum mansere. Ex «absolutismo» Diocletiani et Constantini, qui Augustum secuti pacem servare studebant, clarescit quanta fortuna quantoque fulgore «aetas Augusti» splenduerit.

DE VITRUVIO

(c. 85 – c. 10)

Vitruvius scripsit opus «De Architectura» in decem libros divisum, cujus latinitas nonnullis rationibus apud doctos memorabilis est; etenim auctor ille aequalis Varronis (116-27), Ciceronis (106-43), Lucretii (98-55) fuit, quos summis laudibus propter verborum virtutes et rerum utilitatem praedicavit (9, *praef.* 17). Hoc autem scriptum primo Romanorum Imperatori Augusto (27 a. Chr. - 14 p. Chr. n.) dedicavit, cui egregiam operam triginta annos munere praefecti fabrum dedit. Ad doctrinam vero architecturae etiam sententias universalioris rationis Vitruvius addidit, quarum moralis utilitas jure laudari debet; qua de causa omnes id generis locos ad lectorum commodum hic colligere statui, his adhibitis editionibus:

VITRUVIUS, *De Architectura* iterum eddidit Valentinus ROSE (Lipsiae, Teubneriana. 1899).

VITRUVIUS, *De Architectura* edidit F. KROHN (Lipsiae, Teubneriana, 1912).

VITRUVIUS, *On Architecture* edidit Frank GRANGER (Loeb Classical Library, 1955-1956).

Vitae Vitruvii spatium intra annos 85 et 10 a. Chr. n. fere pro certo constituitur; hujus enim auctoris opus anno 27 ad annum 14 exaratum esse facile creditur nam architectus admodum senex fuisse videtur cum librum scripsit, ut ex his verbis elucet «Mihi autem, Imperator, staturam non tribuit natura, faciem deformavit aetas, valetudo detraxit vires; itaque quoniam ab his praesidiis sum desertus, per auxilia scientiae scriptaque ut spero, perveniam ad commendationem» (2, *pr.* 4).

Ubi auctor natus sit, nihil constat; de institutione autem haec refert: «Ego maximas infinitasque parentibus ago atque habeo gratias, quod Atheniensium legem probantes me arte erudiendum curaverunt et eā, quae non potest esse probata sine litteratura encycloque doctrinarum omnium disciplina; cum ergo et parentum cura et praeceptorum doctrinis auctas haberem copias disciplinarum, philologis et philotechnis rebus commentariorumque scripturis me delectans eas possessiones animo paravi, e quibus haec est fructuum summa: nullam plus habendi esse necessitatem... ego autem, o Caesar (Auguste), non ad pecuniam parandam ex arte dedi studium, sed potius tenuitatem cum bona fama quam abundantiam cum infamia sequendam probavi; ideo notities parum est assecuta» (6, *pr.* 4). Patri Imperatoris Augusti (Julio Caesari) fuerat notus et ejus virtutis studiosus (1, *pr.* 2); in exercitu Julii Caesaris, pontes quos in Rheno fluvio fieri jussit, Vitruvius praefectus fabrum construxit.

Veri simillimum autem est eum Romae diem suum non obiisse, utpote qui ad extremum vitae ex amplissimis urbis bibliothecis opus «De Architectura» tot voluminibus Graecanicis conscripsit; haec «Architectura» decem libros complectitur, qui in 284 sectiones dividuntur, decemque praefationibus prolixis propositum uniuscujusque libri monstratur; quod opus etiam «Institutiones» (7, pr. 10) auctor vocavit. Vitruvius nihil novi neque proprii ingenii protulit, sed rationes et regulas architecturae Graecae exposuit, quae aedificiis privatis et publicis (templis, basilicis, judiciis, balneis) usui erant; quo factum est, ut multa vocabula Graeca usurparet; notiones praecipuae architecturae sunt: «aedificatio, fabrica, machinatio, gnomonica, ratiocinatio» (quasi ars computandi et metiendi); finis architecturae tum erant aedificia firma et venusta; exemplum aedificationis libro 5, 1, 6 late describitur, ubi agitur de basilica in municipio, quod vocatur Fanum Fortunae (in Umbria situm ad mare Adriaticum), quam Vitruvius ipse construxit.

Inter septem artes liberales architectura non enumeratur, quod aedificia manibus servorum exstrui solent, sed artes liberales ad ingenia adolescentium liberorum parentum colenda docebantur. Arithmetica autem, geometria, astronomia, logica maximi momenti ad domorum structuras exsequendas semper fuerunt; et quia hae quattuor disciplinae liberales fundamento aliquibus scientiis sunt, etiam architectura illis quattuor artibus nisa scientia haberi debet, quapropter omnes omnino leges universales scientiae etiam ad architecturam valent. Vitruvius scientiam architecti breviter explicavit (1, 1, 3): «litteratus sit, peritus graphidos, eruditus geometria, optices non ignarus, instructus arithmetica, historias complures noverit, philosophos diligenter audiverit, musicam sciverit, medicinae non sit ignarus, responsa juris consultorum noverit, astrologiam coelique rationes cognitatas habeat».

De scientia vero universali Vitruvius sententiam Stoicorum profert, quae ab architectis nondum recte intellecta est, cum isti viri philosophiae antiquae vix periti esse soleant; est enim notissima doctrina Stoica, quae ita scripta legitur (1, 1, 3): «cum in omnibus enim rebus tum maxime etiam in architectura (= in rebus architecturae) haec duo insunt:

quod significatur et quod significat;

significatur proposita res, de qua dicitur (= iudicatur):

hanc (= rem) autem *significat* demonstratio rationibus doctrinarum explicata;

de verbo «significandi» (= σημαίνειν) accuratius agatur oportet; passivum enim «id quod significatur» (= σημαίνόμενον scilicet τυχάνον πράγμα significandum) continet rem (*suceso, Sachverhalt*), quae attente observatur vel ad iudicandum proponitur; haec igitur res non est simplex objectum (τόδε τι) simplicis apprehensionis (primae operationis), quae sensibus capitur (*no cosa, kein Einzelding*), sed factum, quod accidit et in iudicium (secundam operationem mentis) vocatur; res est τυχάνον πράγμα = id quod accidit vel evenit vel casus.

Activum «id quod significat» (= σημαίνων scilicet πράγμα, significans) est propositio (= ἀξιωμα) vel enuntiatio, qua iudicium, de re pronuntiatur; exemplum pro eo, quod significatur, habes (1, 1, 5); «statuae marmoreae muliebres stolatae Caryatides dicuntur»; haec nempe res relata est *objectum* iudicii; exemplum pro eo, quod significat, est eadem res, antecedens, quae tota *propositione* exprimitur; utraque verbi «significandi» forma (passiva et activa) pertinent ad iudicium; id quod significatur, est *objectum mentale* (*contenido, Inhalt*) iudicii; id quod significat, est forma (*expresión, sprachlicher Ausdruck*) verbalis vel oralis iudicii propositione manifestata; iudicia, id est: propositiones, sunt materiae architecturae pariter atque iudicia aliarum disciplinarum propositiones sunt; nam architectura quoque habet *objecta* (= res, πράγματα, sucesos, Sachverhalte), quae iudicantur et propositionibus communicantur.

Hanc doctrinam de significando Vitruvius e Varronis opere «De Novem Disciplinis» sumpsisse videtur; nam Varro a nostro architecto (9, pr. 17) laudatur et in 2.^o libro illarum «Novem Disciplinarum» de dialectica Stoicorum, non Peripateticorum disputavit, ad quam haec distinctio significandi tamquam fundamentum logicae spectabat, ut Diocles Magnes de logica Chrysippi (apud ARNIM, *Stoicorum Veterum Fragmenta*, vol. 2, n.^o 122, pag. 38, 5) refert: τυγχάνει γὰρ αὐτῆ (= ἡ διαλεκτικὴ) περὶ σημαίνομένου καὶ σημαίνοντος = dialectica agit de eo, quod significatur, et de eo, quod significat.

Habemus ergo apud Vitruvium (1, 1, 3) fragmentum Varronis ex volumine «De Novem Disciplinis», quod idem Varro e Stoicorum quodam auctore vel ex Chrysippo suscepit; hic autem locus Vitruvii Stoicis fragmentis addendum est, qui deest in opere Joannis ab ARNIM, *Stoicorum Veterum Fragmenta* (Lipsiae apud Teubnerum, 1901-1903).

In libris Vitruvii praeter poetas non pauci philosophi nobis occurrunt, quorum sententiae saepius ad physiologiam et ad praecepta moralia spectant; philosophia quidem naturalis in eligendo loco, aqua, aëre ad aedificia construenda permagno commodo fuit; illud scriptum Graecum περὶ αἰρῶν, ὕδατων, τόπων jam in aliquo architecti romani exemplari forsitan adhibitum sit.

Animus Vitruvii religiosus his verbis perhibetur: «dii immortales (10, pr. 2). De deorum immortalium aedibus sacris (3, pr. 4). Aedes deorum immortalium (3, 19). Aurea corona votiva dis immortalibus (9, pr. 9). In sedibus immortalium (1, pr. 2). Inter deorum sedes (9, pr. 2). In deorum sessionio (7, pr. 16). Deorum simulacrum (9, pr. 16). Concilium caelestium (1, pr. 2). Divina mens (1, pr. 1. 6, 11. 8, pr. 3. 9, 1, 1). Divinae benignitatis (6, pr. 14); toto libro tertio de templis agitur.

Imprimis tres aequales majores natu insignesque scriptores romanos architectus laudibus extulit: Varronem, Ciceronem, Lucretium (9, pr. 17); «Multi posterorum cum Varrone conferent sermonem de lingua latina, plures post nostram memoriam nascentes videbuntur... disputare de arte rhe-

torica cum *Cicerone*; plures... cum *Lucretio* videbuntur velut coram «De Re-
rum Natura» disputare».

Hos tres auctores ob id ipsum memoravit, quod ei, ut opinor, notum erat Imperatorem Augustum illos scriptores propter grammaticam, rhetoricam, philosophiam naturalem magni habuisse; certo e Plutarchi «Vita Ciceronis» 49, scimus ab Augusto Ciceronem his verbis laudatum esse λόγιος ἀνὴρ, ὃ και, λόγιος και φιλόπατρις (= doctus vir fuit, fili, doctus et patriae amans); ita etiam Varro et Lucretius λόγοι (= docti) ab eodem Imperatore iudicantur ex quo haud dubie illos legisse eruitur: denique hos tres scriptores egregios idcirco attulit, quod iam mortui erant; de Vergilio contra, qui «Aeneïde, gloriam Ennii obscuraturus, poëta vere nationalis et immortalis postremo exstitit, mentionem non facit, quod vates Mantuanus nondum e vita cesserat; hæc re profecto effici potest opus Vitruvii ante obitum Vergili i (19 a. Chr. n.) in lucem editum esse.

Ad extremum, ipsius libri «De Architectura» locutionem paucis tangam; Vitruvius eisdem sermonis difficultatibus opprimebatur ac Lucretius; nam graecitatis abundantiae latinitatis egestas obstitit, quia philosophia et architectura iam diu a magistris graecis summopere excultae erant, cum in eo demum esset, ut Romani ipsi ab Athenis pedetemptim artes et doctrinas discerent. Vitruvius multo plura vocabula graeca arcessivit quam Lucretius qui metrorum necessitate valde vinctus erat; generi scribendi Cornelii Nepotis architectus propius accedit; maxime praefationes «Architecturae», ardore quodam narrandi affectae, jucundae lectu et utiles cogitatu apparent.

Jam proponamus sententias Vitruvii universaliores praesertim e praefationibus decerptas.

Acutiores efficit calidus *aër* hominum mentes, refrigeratus autem contra tardiores (6, 1, 9).

Corpora sine spiritus redundantia non possunt habere vitam, nisi *aër* influens cum incremento fecerit auctus et remissiones continenter (8, pr. 2).

Hypaethrae *ambulationes* habent magnam salubritatem et primum oculorum, ex viridibus subtilis et extenuatus *aër* propter motionem corporis influens perlumat speciem et ita auferens ex oculis humorem crassum aciem tenuem et acutam speciem relinquit (5, 9, 5).

A physicis et a philosophis et ab sacerdotibus (Aegyptiorum) iudicatur ex potestate *aquae* omnes res constare (8, pr. 4).

Aqua non solum potus, sed infinitas usui praebendo necessitates gratas, quod est gratuita, praestat utilitates (8, pr. 3).

(*Aqua*) est maxime necessaria et ad vitam et ad delectationes et ad usum quotidianum (8, 1, 1).

Omnis *aqua* calida ideo est medicamentosa, quod in pravis rebus percocta aliam virtutem recipit ad usum (8, 3, 4).

Sine *aqua* nec corpus animalium nec ulla cibi virtus potest nasci nec tueri nec parari (8, 3, 28).

Ex duabus rebus singulae artes sunt compositae: ex opere et ejus ratiocinatione; ex his autem unum (sc. opus) proprium est eorum, qui singulis rebus sunt exercitati: id est operis effectus; alterum (sc. ratiocinatio) commune cum omnibus doctis: id est ratiocinatio (1. 1. 15).

Inertia mali iudicis conueniunt *artium* virtutes (7, 5, 4).

Neque enim ingenium sine disciplina aut disciplina sine ingenio perfectum *artificem* potest efficere (1, 1, 3).

Atomos, quae nostri insecabilia corpora, nonnulli individua uocauerunt (2, 2, 1).

Beneficium dantes, non accipientes ambiuntur (6, pr. 5).

Omnes homines..., quod est *bonum*, possunt probare (6, 8, 10).

Caloris si non fuerit in corpore iusta comparatio, non erit spiritus animi alius neque erectio firma, cibusque vires non poterunt habere concoctionis temperaturam (8, pr. 2).

Apparatus ad auxilia *caloris* solis impetus et ignis inventus tutiorem efficit vitam (8, pr. 3).

Fructus ex terra surgentes in altitudinem per *calorem* videmus (9, 1, 12).

Poëmaticorum *carminum* metra ac pedes ac verborum elegans dispositio et sententiarum inter personas distinctas et versuum pronuntiatio prolectando sensus legentium perducit sine offensa ad summam scriptorum terminationem (5, pr. 1).

Civitas sine agris et eorum fructibus in moenibus affluentibus non potest crescere nec sine abundantia cibi frequentiam habere populumque sine copia tueri (2, pr. 3).

Cogitatio est cura, studii plena et industriae vigilantiaeque, effectus propositi cum voluptate (1, 2, 2).

Corporis centrum medium naturaliter est umbilicus (3, 1, 3).

Cubus est corpus ex sex lateribus aequali latitudine planitatem per quadratum (5, pr. 4).

Decor est emendatus operis aspectus probatis rebus compositi cum auctoritate (1, 2, 5).

Disciplinae conjunctae cum animis nullo tempore deficiunt, sed permanent stabiliter ad summum exitum vitae (6, pr. 3).

Si sensus et sententiae scientiaeque *disciplinis* auctae perspicuae et perlucidae fuissent, non gratia neque ambitio valeret (3, pr. 3).

Dispositio est rerum apta conlocatio elegansque e compositionibus effectus operis cum qualitate (1, 2, 2).

Distributio est copiarum locique comoda dispensatio parcaque in operibus sumptus cum ratione temperatio (1, 2, 8).

Divina mens, quae proprie necessaria sunt gentibus, non constituit difficilia et cara... sed sine quibus mortalium vita non potest esse tuta, effudit ad manum parata per omnem mundum (8, pr. 3).

Divina mens civitatem populi Romani egregia temperataque regione collocavit, uti orbis terrarum imperio potiretur (6, 1, 11).

Ea est proprietates *divitiarum* maxime, nihil desiderare (6, pr. 4).

Plerique... audacia adhibita cum *divitiis* etiam notitiam sunt consecuti (6, pr. 4).

(E *doctrinis*) haec est fructuum summa: nullam plus habendi esse necessitatem *divitiarum* maxime: nihil desiderare (6, pr. 4).

Docti potius esse quam pecuniae confidentes hortandi sunt (6, pr. 2).

Doctus ex omnibus solus neque in alienis locis peregrinus neque amissis familiaribus et necessariis inops amicorum, sed in omni civitate est civis difficilesque fortunae sine timore potest despiciere casus (Theophrastus 6, pr. 2).

Qui non *doctrinarum*, sed felicitatis praesidiis putat se esse vallatum, labidis itineribus vadens non stabilis, sed infirma conficitur vita (Theophrastus 6, pr. 2).

Eurhythmia est venusta species commodusque in compositionibus metricum aspectus (1, 2, 3).

Fabrica est continuata ac trita usu meditatio, qua manibus perficitur e materia uniuscujusque generis opus et ad propositum deformationis (1, 1, 1).

Qui non minori studio et ingenio sollertiaque fuerunt nobilibus..., nullam memoriam sunt assecuti, quod hi non ab industria neque artis sollertia, sed a *felicitate* fuerunt deserti (3, pr. 2).

Fervor... omnes res evocat et ad se ducit (9, 1, 12).

Pauca sapientibus *Fortuna* tribuit, quae autem maxima et necessaria sunt, animi mentisque cogitationibus gubernantur (Epicurus 6, pr. 3).

Ea vera praesidia sunt vitae, quibus neque *Fortunae* tempestas iniqua neque publicarum rerum mutatio neque belli vastatio potest nocere (6, pr. 2).

(Nullam memoriam sunt assecuti)... ceteri, quos neque industria neque artis studium neque sollertia defecit, sed aut rei familiaris exiguitas aut imbecillitas *Fortunae* seu in ambitione certationis contrariorum superatio obstitit eorum dignitati (3, pr. 2).

Omnia munera a *Fortuna* cum dantur, ab ea facillime adimuntur (6, pr. 3).

Historiae per se tenent lectores; habent enim novarum rerum varias expectationes (5, pr. 1).

(*Homerus*)... poetarum parens philologiaeque omnis dux (7, pr. 8).

Animalia si fuerint sine *humoris* potestate, exsanguinata et exsucta a principiorum liquore interarescent (8, pr. 3).

Individua corpora (= atomi), cum sunt disjuncta, nec laeduntur nec interitionem recipiunt nec sectionibus dividuntur, sed sempiterno aevo perpetuo infinitam retinent in se soliditatem (2, 2, 1).

Ex his (sc. *individuis* corporibus) congruentibus... res omnes coire nascique videntur (2, 2, 2).

Inventio est quaestionum obscurarum explicatio ratioque novae rei vigore mobili reperta (1, 2, 2).

(Est) maxime indignandum, cum etiam saepe (homines) blandiantur gratia conviviorum a veris *judiciis* ad falsam probationem (3, pr. 3).

Proprietas *liquoris*, cum init in corpus, prosemnat intinctam sui cujusque generis qualitatem (8, 3; 14).

Non veros videtur habere visus effectus, sed fallitur saepius iudicio ab eo (sc. visu) *mens* (6, 2, 2).

Iudiciis infirmis obscuratae *mentes* non valent probare, quod potest esse cum auctoritate et ratione decoris (7, 5, 4).

Qui litterarum jucunditatibus instinctas habent *mentes*, non possunt non in suis pectoribus dedicatum habere sicuti deorum sic Ennii poetae simulacrum (9, pr. 16).

Mundus est omnium naturae rerum conceptio summa coelumque sideribus conformatum (9, 1, 2).

Uti *natura* rerum voluit,... non efficitur, ut possint homines obscuratis sub pectoribus ingenis scientias artificiorum penitus latentes, quemadmodum sint, iudicare (3, pr. 1).

Omnia, uti *natura* rerum consiluit, non ad voluntatem hominum sed fortuito disparata procreantur (2, 6, 5).

Ab *natura* rerum haec ita sunt in mundo collocata, ut omnes nationes immoderatis mixtionibus sint disparatae (6, 1, 10).

Omnis machinatio est a rerum *natura* procreata ac praeceptrice et magistra mundi versionem instituta (10, 1, 4).

Nonnulla aliter quam sunt, oculis probantur (6, 2, 4).

Nullum *opus* vere sine fide et castitate fieri potest (1, 1, 7).

Ordinatio est modica membrorum operis commoditas separatim, universaeque proportionis ad symmetriam comparatio (1, 2, 2).

Ostrum (= purpura)... et carissimam et excellentissimam habet... aspectus suavitatem (7, 13, 1).

Vitrorum (= *philosophorum*) cogitata non solum ad mores corrigendos, sed etiam ad omnium utilitatem perpetuo sunt praeparata (9, pr. 15).

Pictura imago fit ejus, quod est seu potest esse (7, 5, 1).

Neque enim *picturae* probari debent, quae non sunt similes veritati (7, 5, 4).

Pythagorae *praecepta*, Democriti, Platonis, Aristotelis ceterorumque sapientium cotidiana perpetuis industriis culta non solum suis civibus, sed etiam omnibus gentibus recentes et floridos edunt fructus (9, pr. 2).

Praeceptorum late vagantes *scripturae* si non contrahuntur, et paucis et perlucidis sententiis explicantur, frequentia multitudineque sermonis impediende incertas legentium efficiunt cogitationes (5, pr. 2).

Philosophi haec *principia* (= elementa) quattuor esse proposuerunt: aërem, ignem, aquam, terram eorumque inter se cohaerentiam naturali figuratone ex generum discriminibus efficere qualitates (8, pr. 1).

Animadvertimus non solum nascentia ex his (= *principiis* = elementis) esse procreata, sed etiam res omnes non ali sine eorum (= elementorum) potestate neque crescere nec tueri (8, pr. 2).

Nulla materiarum genera neque corpora neque res sine *principiorum* (= elementorum) coetu nasci neque subjecti intellectui possunt (2, 1, 9).

Ex *principiis*, quae Graeci *stoicheia* appellant, omnia corpora sunt composita, id est ex calore et humore et terreno et aëre (1, 4, 5).

Ingenuo *pudori*, non audaciae protervitatibus committendum (opus est) (6, pr. 6).

Ingenuus color movetur *pudore* (6, pr. 5).

Non omnia eisdem *rationibus* agi possunt, sed sunt aliqua, quae exemplaribus non magnis similiter magna facta habent effectus; alia autem exemplaria non possunt habere, sed per se constituuntur; nonnulla vero sunt, quae in exemplaribus videntur veri similia; cum crescere autem coeperunt, dilabuntur (10, 16, 5).

Commune cum omnibus doctis... est *rationatio* (1, 1,

Quod oculos fallit, *rationatione* est exaequandum (3, 3, 11).

Non in tantis rerum varietatibus elegantias singulares quisquam consequi potest, quod earum *rationationes* cognoscere et percipere vix cadit in potestatem (1, 1, 13).

Si qui veris certisque laboribus doctrinarum pervenissent ad *scientiam* summam, ei ultro opera traderentur (3, pr. 3).

Scriptores non solum suos sensus, sed etiam omnium animos exacuendo libris ad discendum praeparant *praecepta* (9, pr. 1).

(sunt *scriptores*) qui infinitas utilitates aevo perpetuo omnibus gentibus praestant (9, pr. 1).

Ipsae per se mentes, aëris altiora prospicientes, memoriarum gradibus ad caelum elatae, aevo immortali non modo sententias, sed etiam figuras *scriptorum* posteris cogunt esse notas (9, pr. 16).

Neque moribus neque institutis *scriptorum* praestantibus tribuuntur honores (9, pr. 16).

Sapientium *scriptorum* sententiae corporibus absentibus vetustate florentes, cum insunt inter consilia et disputationes, majores habent, quam praesentium sunt, auctoritates omnes (9, pr. 17).

Tanta munera ab *scriptorum* prudentia privatim publiceque fuerunt hominibus praeparata... eorum cogitata utiliter hominibus ad vitam explicandam (ponuntur) (9, pr. 3).

Omnibus *scriptoribus* infinitas ago gratias, quod egregiis ingeniorum sollertibus ex aevo collatis abundantes alius alio genere copias praeparaverunt, unde nos uti fontibus haurientes aquam et ad proposita traducentes foecundiores et expeditiores habemus ad scribendum facultates talibusque confidentes auctoribus audemus institutiones novas comparare (7, pr. 10).

In omnibus rebus... haec duo insunt:

quod significatur et quod significat;

significatur proposita res de qua dicitur;

hanc (rem) *significat* demonstratio rationibus doctrinarum explicata (1, 1, 3).

Ex his (elementis) si quid forte desit in corpore spiritus, ad restituendum aër assignatus id praestat (8, pr. 3).

Symmetria est ex ipsius operis membris conveniens consensus ex partibusque separatis ad universae figurae speciem ratae partis responsus (1, 2, 4).

Terrenus fructus escarum praestans copulis supervacuis desiderationes alit et nutrit animales pascendo continenter (8, pr. 3).

Si non *terrestri* cibo membra corporis alantur, deficient et ita a terreni principii mixtione erunt deserta (8, pr. 2).

Ventus est aëris fluens unda cum incerta motus redundantia (1, 6, 2).

Venti... si frigidi sunt, laedunt; si calidi, vitiant; si humidi, nocent (1, 6, 1).

Virgines propter aetatis teneritatem gracilioribus membris figuratae effectus recipiunt in ornatu venustiores (4, 1, 8).

Vocabula ex artis propria necessitate concepta inconsueto sermone obijciunt sensibus obscuritatem (5, pr. 2).

Nulla ex omnibus rebus tantas videtur habere ad usum necessitates quantas aqua (8, 3, 28).

AEMILIUS (EMIL) ORTH

IMAGO HORATII¹

PLEBI PORTUI MORONI
PAGO NATALI MIHI CARISSIMO
QUI IV IDUS MAIAS ANNO MCMLV
TANTO HONORE CELEBRAVIT
MEUM CARMEN .SYRUM.
PRAEMIO AUREO ORNATUM
IN CERTAMINE POETICO HOEUFFTIANO
PER MUNICIPII PROCURATORES
CONVOCATOS
AB EGREGIO VIRO PETRO RE
SYNDICO ET CONCILII PRAESIDE
GRATI ANIMI CAUSA
HOC CARMEN DICATUM VOLUI.

Dominicus Mgha22a

Mediolani, IV Non Jun. MCMLVI.

*Dum nigra dormis per iuga Vulturis
et mulcet aures luscinae melos,
te frondibus lauri tegentes
egregium cecinere vatem
alto palumbes non sine numine; 5
ac rura circum laetitia tremunt.
Mox nomen extendens in orbem
cuncta volas hominum per ora:
princeps latini carminis et lyrae,
seu facta laudas fortia Reguli, 10
tormenta nil Poeni ferocis
pectore magnanimo timentis,
vel proruentes caede sub Alpibus
Drusi cohortes agmina barbara,
ut falce lunata colonus 15
sternit humi segetes in arvis;*

1. Hor. Carm. III, 4, 9-12.

*sive omne rides stultitiae genus
quodcumque nobis pectora commovet,
villaque contentus Sabina
vitam agitas penitus beatam.* 20

*Nam vita simplex ingenio placet
vatis. Frequenter rura perambulat,
gaudens vel umbram demere uvae
vel lapides remove sulco;*

quandoque, spectans cominus, eminus, 25
*ïucunda rerum murmura percipit
Hïc undà decurrit perennis
Bandusiae leviter susurrans;*

*illic apes se floribus inserunt
ac mella sugunt quae referant domum;* 30
*sub fronde celatae volucres
cantibus omnigenis fruuntur.*

*Cantus, Horati, gaudia dant tibi
multa. Ad Vacunae rudera squalida
sedes: quies sensim locorum* 35
conciliat placidum soporem;

*sed, iam propinquo vespere, Cervii
repens cachinnus suscitatur ac lepos:*
*—«Quae, Flacce, stertentem cicada
te valeat superare voce?»—.* 40

*Rident. Amicum ducit Horatius
in tecta: mentesque exhilarant scyphi.
Sic ille felix degit aevum,
cui placuere togae nitentes*

nar dique fusus crinis odoribus 45
*et cara Lydes oscula virginis:
nam quidquid humanum est libens id
Musa amat atque facit poësim.*

*Provectus annis ludicra despicit,
et recta quaerit: —Si sapis, effuge
culpam: hoc malum est, non res egena.
Anne miser spoliatus arvis* 50

*a duro Ofellus milite? Nitere
vitae modestus deliciis frui,
contentus illa sorte vivens
quam tribuere dei benigni—.* 55

*Quintum haec docebat saepe domi pater,
fungens magistri munere seduli
sub vesperum, rebus peractis,
dum, crepitante foco, renident* 60

*ab igne vultus, ac propria manu
cenam lupinis atque oleo parat.
Nunc vir bonus vivit per aevum
obsequio et pietate filii.*

*Cum patre laudes praecipuas ferunt
cari sodales, Musa quibus favet
aeterna spirans carmina, atque
dulcis et egregius patronus;* 65

*tum prisca Virtus, quae veterum aspicit
florere mores, sanctaque Numina
quorum benigna mente Roma et
gloria Romulidum refulgent.* 70

DOMINICUS MIGLIAZZA

Mediolani, MCMXXXVI

FANUM JOVIS¹

CHRISTINAE MEAE CARISSIMAE
QUAE MIHI FUIT DULCE VITAE SOLACIUM
ET DOMUI EGREGIUM VIRTUTIS EXEMPLUM

*Ante Jovis fanum magno clamore puelli
ludebant. Medius, velato lumine, Cyrus,
dum sibi Luciolus petulans sub nare cachinnat
et profert, ludi pro libertate, iocosa,
principio, nimium ne fiat ludibrium, ipse* 5
*dissimulanter agit, dein tentat corripere: ille
avolat, et capitur matronae venter obesus,
quae comite ancilla ad fanum gravis incedebat.
Namque Jovi sacer ille dies: iam floribus aedes
halat odoratis, et taurus, cornua cinctus* 10
*vitta sacrificandus adest... Sonat undique risus.
Cyrus, fasciola detracta a lumine, cernit
attonitus. Risum at minime curat neque ludum
nec colludentes, secus atque solet, puer ore
valde pulcher, humi stratus: miser est pede claudus.* 15
*Qui mira lingua cujusdam mira loquentis
prae se captabat sermonem, totus in illo.
—«Nam deus ille, bonus, voluit sub paupere tecto
vivere, factus homo nostrum ut scelus omne piaret,
et voluit qui nos divexant ferre dolores* 20
*atque mori, tamquam latro nequam e cruce pendens,
orata venia caedentibus: «O Pater, inquit,
parcas: ignorant quid agant». Sed mox, domita ipsa
morte, petit caelum divina luce coruscans,
unde benignus adest et largo munere dives* 25
*si recte colimus, si virtutem sequimur, si
cunctos diligimus fraterno corde, perinde
atque ipse, unicuique favens, pater omnibus unus»—.
Turba fremit: «Pulchre! At, quo signo credere par est,
Paule, tibi? —Jesu, tum exorat fervidus ille,* 30
*palmas in caelum tendens, audi mea vota!—
Atque tuens pusum, proprio qui pendet ab ore,
«Surge, ait». Ille statim erigitur pede. Vix sibi credens,*

1. Carmen in Certamine Poëtico Hoeuffftiano aqud Batavos magna laude ornatum anno MCMXVII.

primo turba silet divino tacta pavore,
 tum fremit: ingenti fanum sonat omne tumultu 35
 et vario sermone: «Quid est?» Virtus modo Pauli
 sanavit Licinum. «Licinum? puerum pede claudum?»
 —Ipsum —«Quî?» —Fretus divino numine. —«Numen
 ipse est, Aureli. Nonne audisti modo verba
 ejus? Quam pulchre dicebat! Quem nisi doctum 40
 Mercurium esse putem? Salve, Jove nate!» —Tacedum:
 mystes cum tauro vittato pergat, ut illi
 sacrificet: «Te nos mactamus sanguine, grati
 imo corde tui praeclari muneris, Herme...»
 Turba virum flexis genibus colit. Increpat ille 45
 et scissa tunica: «Quid? Non ego sum deus, ut vos
 natus homo, miser aerumnas atque omnia passus;
 nec prorsum ille deus, qui torpida membra puelli
 per me sanavit, iam gaudet sanguine: caedis
 exhaustum satis est: sed puro corde piaque 50
 mente: animus iustum recolens, haec hostia, civis,
 hi ritus. Cum mos tibi candidus, et pudor ore
 ingenuus nitet, et virtus culpam fugit omnem,
 unus cordis amor; cum tu per tristia vitae
 fis magis atque magis probus, ac mens dura resistit 55
 illecebris, immota velut rupes, et egenis
 astat largus opum et miseris solacia praebes,
 tum optima sacra litas». Hic vir silet. Ecce silenti
 occurrit Licini mater, quae, solvere grates
 pro nato cupiens, nequit ullum dicere verbum, 60
 tanta movent animos ipsius gaudia! Plantas
 amplexata viri dabat oscula plura simulque
 dulces fundebat lacrimas. Prope, quisque silebat;
 et Licinus: —«Mater, ne fleveris: en pede firmus
 sum veluti aequales; iam possum currere, possum 65
 ludere... quam ludos cupiebam!... teque juvare,
 si quid opus, re parva aliqua». —Debes, amor, ista
 cuncta viro: quid ei dicis? —«Quo nomine vestrum,
 Paule, deum appellant?». —O, dolci nomine: Jesum!
 —«Jesum corde pio, dum vivam, semper amabo 70
 ut patrem: mihi enim est nullus pater». —Est, ait ore
 suppresso, mater, sed... Vultum flamma pudoris
 incendit, truncat singultus verba loquentis.
 Interea mystae velarant nubila frontem.
 —«Macte, puer, vir ait»; dein matrem tollit humo atque 75

ſani vestibulum ingreditur ſimul. Undique: —Vivat Paulus, homo diviſ par— conclamat pia turba, quam myſtes belle dimittit. Paret, at aegre.

Stabat in aede Jovis ſimulacrum fronte ſerena,
tempora cui cinxit redolenti flore puella 80
flava comas, myſtae ſenioris blanda voluptas.
Plebs modo circumfuſa pie cantabat ad aram.
una voce deum pecori mitem et ſibi et arvis.
Vox placuit: nunc ore ſupercilioque ſereno
ipſe videbatur ſua gaudia fundere ab aere. 85
Quem Paulus cernes: «Jam te manet hora ſuprema,
Juppiter: ecce Deus multo melior loca poſcit».
Tum: «Mulier, pro te vultus loquitur: dolor angit;
da, quaeso, noſcam, ut poſſim corda levare.
Multa aequae paſſus, ſio cura tibi frater; 90
uſus me docuit, bona, lenimenta doloris.
Dic, ubi vir? Cur, ſi vivit, nescit puer? An te
liquit?» —Ais. Nam, ubi cum vitio miſerae mihi natus
puſus, humi tenuit pater haerens tolleret annon;
dein: «Quid de puero ſciam hoc?» Et reſpuit. Atque 95
paulo poſt: «Facies tua non placet amplius: exi»,
ingrediturque domum, me ſpreta, flava puella
ad myſten... —«Quid, ait Paulus, vir tu, Lyce? —Sum oro,
da veniam, ſi peccavi». —Do, nam miſer et tu
ſic, ut ego, ut cuncti; nec ſane, quem colis, iſte 100
prorſus deterrere valet culpa deus. Omnes
norunt ſurta Jovis. Sed, amabo, nonne die quo
prodiit illud «Ubi tu Caius, Caja ego», nuptiae
a te perpetuus juratus amor? Quid ita ergo 105
des tibi? Quod crimen merito poteſ obijcere illi,
ex te ſi mancum genuit puerum? Hunc renuens, dic,
nonne tuam carnem renuis? Tu dividis id quod
dividere haud ſas eſt, nam filius et pater unum
omnino ſunt. Haec voluit Deus; haec tibi ſacra 110
ſunto». —Dum Paulus loquitur, mater pia verba
ebibit aure ſimulque colorant gaudia vultum,
namque fovet bona ſpes miſeram. Nec corda ſeſellit.
—Ipsa larem, myſtes ait, ingrediare priorem
et quod deliqui, tua quae pietas, mihi parce». 114

MCMXV

Dominicus Migliazza

ADNOTATIONES. — Acta Apoſtolorum, XIV, XIV, 8-18: ubi tamen de viro claudo ſermo eſt. Qua re de puero dixerim, liquebit, ſi fabulam carminis conſideraveris et ea quae Paulus praedicat de matrimonio, de amore conjugali, de liberis, etc.

vv. 1-8. Ludus a pueris dicitur *musca caeca*.

vv. 105-110. De conjugibus Chriſtus: «Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet».

Ad mortem Josephi Favaro, anatomici Mutinensis

Non ita pridem forte fortuito in nuntium incidimus haud novum de obitu Josephi Favaro Patavini, qui natus est anno 1877, diem autem supremum obiit Mutinae die 19 mensis octobris anni 1954. Clarissimus hic vir, qui Messanae, Barii, Mutinae anatomicen docuit in studiorum Universitatibus, per vitam erat latinitatis vitalis fautor quam maxime strenuus. Quin etiam Musarum erat alumnus haud indignus. Ejus exstant orationes quaedam latinae, i. q. una *de linguae latinae consuetudine in rebus medicis revocanda*, quam anno 1925 habuit, altera *de Leonardi Vincii anatome*, dicta Mediolani in conventu legatorum omnium nationum de anatome (*Alma Roma*, 14 [1937], f. 7).

Maximam tamen gloriam carmine adeptus est, quod *Mors Laniata* inscribitur. Quo in carmine neque anatomicus neque medicus, satis tamen doctus vir enarrare fingitur, quidquid spectavit cogitavitque cum pathologicae cadaveris dissectioni forte adesset. Hoc opusculum anno 1936 Amstelodami laude ornatum est in certamine poëtico Hoeufftiano. Denuo editum est in *Alma Roma* ejusdem anni, tertium denique Mutinae uno anno post prodit. Partim tandem repetitum est in commentariis, q. t. *Latinitas*, 3 (1955), pp. 33-34, quo loco monemur *ex eo carmine neminem non cogere quanta sit, hac etiam aetate, sermonis Latini vis ad exquisitorum doctrinarum verba significanda*. Nos autem carmen in historia latinarum litterarum locum ideo libentius adsignamus, quod est ultimae cujusdam veracitatis specimen, qualis raro apud poëtas qui nunc sunt offenditur. Cave tamen carmen frigidum putes inque mera descriptione anatomica haerens: immo vero imaginum sinceritate quodammodo horribili legentis animum comprimitur. En tibi exemplum:

- 25 Ferrea, quae cranium redimit, nunc ecce corona
 Interiora frians retinacula prorsus adepta;
 Aggreditur passim cuneus tunc undique rimam,
 Donec, hians, vecti pedetentim instante, recedit
 Et crepitans tandem, vinculis, inversa, solutis,
30 Praeceptis marmoream plangit calvaria mensam,
 Olla ut fissa crepax, fluitans ac volvitur, orbes
 Circumagens aliquos, puerilis turbini instar.
 Nunc, velis sectis, cerebrum nudatur, et inde
 Intima dum facili scalpello vincula cedunt,
31 Deprimitur sensim, donec plus plusque deorsum,
 Lenta manu pansa moles comprehenditur alba...

Sic igitur canebat medicus ille spectatissimus, qui Aesculapium et Musas uno cultu venerabatur. Memoria ejus vivax semper maneat inter viros latinitatis amantes.

Non solus autem erat medicus, qui nostra aetate Camenis indulgebat! Eorum, qui nunc vivunt, imprimis laudentur oportet Alexander Lenard Budapestinus, nunc civis Brasilianus (°1910) et Joannes Jacobus Meunier de Solengiaco Bituricensis (°1914), qui «CAMENAE VIVAE»¹ nomen dederunt. Ad meliorem vitam jam translati sunt E. Fuld Berolinensis², Vido Bacelli Italus (1832-1916), poëta patriae amans³, Rufinus Schockaert (1875-1953), gynecologus Lovaniensis⁴, necnon et Carolus Flesch seu *Flescarolus* Augiensis (1874-1945), cujus praedicatur in *Walahfridi discessum carmen lugubre* (Celiae Ratoldi=Radolfszell, 1932). Quo in carmine poëta finxit se in Germaniam meridionalem pervectum esse autocineto, cujus moderamen regit Walahfridus Strabo poëta clarissimus, qui saeculo IX Augiae vixit⁵.

Utinam semper medici rei latinae fideles maneant!

I. IJSEWIJN-JACOBS

1. J. Eberle, *CAMENA VIVA, latina hujus aetatis carmina, collegit et edidit* (Turici in aedibus «Artemidos», 1961).

2. *Augusti Piccardi laudes* (*Soc. Lat.* 1 [1932-33], p. 44), etc.

3. *Armorum Italicorum Duci maximo praestantissimo Aloysio Cadorna carmen* (*Il giornale d'Italia*, 6 - I - 1916).

4. *Juvenilia* (Lovani, 1932): poëmatia latina flandrica francogallica annis 1892-93 condita.

5. *Fragmenrum inventes* in *Soc. Lat.*, 2 (1934), pp. 60-61.

Jubilaei Sacerdotalis eclogarii

Casu fere accidit —fortuitis amici litteris— ut ipse certior fierem Rdm. P. J. M. Mir, carissimum nostrorum commentariorum Moderatorem, jam jam esse XXV anniversarium diem ab inito sacerdotio acturum.

Tanta Moderatoris nostri fuit modestia ut de faustissimae commemorationis die nemini quid diceret omnesque, qui apud eum habitamus, res omnino praeteriret usque eo temporis quo epistula illa ad me pervenit; nam ipse in intimo recolere secumque tantum agere volebat anniversarium diem quo Christus, Summus Sacerdos, tot divina sibi concrediderat.

Cum tamen per epistulam, ut ante memoravi, amici opportunissimam certior hujus rei factus essem parumque temporis ad commemorationis diem suppetere animadverterem, mecum ipse cogitavi fore ut nec Superiores nec amici nec discipuli P. Mirii meo nequaquam silentio parcerent, si de jubileo sacerdotali paterer eos non admonere.

Quapropter, etsi modestiam Moderatoris nostri certo me laesurum scirem, tamen, eo necopinante, epistulam confestim et fratribus et amicis misi. Mihi vero pepercerint nonnulli quibus notitia hujus anniversarii diei non pervenit, cum exiguitas temporis et celeritas efficeret ut nomina quaedam amicorum, qui P. Mirio et sunt et semper erunt carissimi, sine ullo consilio praeterirentur.

Mihi modo liceat omnibus quamplurimas gratias agere quod tam comiter P. Mirio sint gratulati, simul atque et ipsis et eis qui Moderatoris PALAESTRAE LATINAE jam diu amicitiam et consuetudinem colunt, nonnulla offero ex epistulis excerpta amoris et officii testimonia.

Et imprimis ex Italia nonnulla quidem lectoribus, e Civitate Vaticana, et Superioribus Supremi Regiminis Congregationis Claretianae et amicis:

AUGUSTO PONTIFICE OTORGA BENIGNAMENTE PADRE JOSE MARIA MIR TRISTANY CONDE DOS BARBASTRO OCASION BODAS PLATA SACERDOCIO SUPPLICADA BENDICION APOSTOLICA PRENDA ESCOGIDAS GRACIAS QUE LE ASISTAN FECUNDO MINISTERIO

CARDENAL TARDINI

Muy de corazón me uno a la íntima satisfacción de V. R. al celebrar los 25 años de sacerdocio; años tan bien aprovechados en el servicio del Señor y de la Congregación.

Como Superior de la misma no puedo menos de manifestarle mi sincera complacencia y mi viva gratitud por su grande interés y su infatigable y fecunda labor para fomentar los estudios humanísticos en nuestra Congregación por medio principalmente de la acreditada revista PALAESTRA LATINA y la participación activa y competente en los Congresos de la especialidad humanística.

Que el Señor y nuestra divina Madre le premien con profusión por todo ello y que le concedan celebrar las Bodas de oro sacerdo-

tales y seguir trabajando copiosamente en ese campo de su especialización formando escuela entre nuestros jóvenes Claretianos en formación

RMO. P. P. SCHWEIGER, *Superior General*
Roma

Le felicito también de corazón porque en esta primera etapa de su sacerdocio, que no es etapa final sino de madurez y promesa de más copiosos frutos, ha sabido dedicar sus energías y talentos al ministerio sagrado de preparar los aspirantes al sacerdocio en una de las disciplinas más típicamente eclesísticas. Grande mérito de V. R. el haber sacrificado otros ministerios más agradables en lo humano y muy prometedores para sus excelentes cualidades personales. Pocos como V. R. penetrados del valor pedagógico y educativo del latín y de su valor religioso y sacerdotal; del latín podemos decir que es para nosotros algo sagrado como lengua materna de la Iglesia, como lengua litúrgica que usamos para los más grandes misterios, como lengua sabia en que aprendemos todas las ciencias sagradas. Por esto su enseñanza y su culto es verdaderamente y en todo rigor un ministerio sagrado, a que V. R. ha dedicado con todo entusiasmo e ilusión sus mejores años. Lo de ministerio sagrado no lo considere una hipótesis, porque si la Sagrada Congregación de Seminarios ha calificado de ministerio sagrado en los sacerdotes su ministerio docente en general, con toda razón podemos aplicarlo a la enseñanza del latín, del griego, de la cual V. R. es campeón y promotor infatigable en la Congregación y en Hispanoamé-

rica por medio de la meritisima revista PALAESTRA LATINA.

Augurios y felicidades por su obra realizada y que el Señor nos le conserve y bendiga los grandes proyectos que su plena madurez clásica le inspira en honor de la Iglesia y de la Congregación y para la gloria de Dios.

CÁNDIDO BAJO, C. M. F., *Subd. General*
Roma

Soltanto ieri, e per caso, ho saputo da un amico che Lei, Padre Reverendissimo, ha celebrato, qualche mese fa, il venticinquesimo del Suo Sacerdozio.

Mentre mi sono rallegrato della notizia, così gioconda, sono restato mortificato di non aver saputo la cosa a suo tempo. Come mai? Nessuno mi ha scritto? Oppure smarrita la lettera?...

Creda che io nutro per Lei la più sincera ammirazione; per la Sua Persona: intendo dire specialmente, per la Sua intelligenza, per la Sua cultura, per la Sua maestria nella lingua latina; e per la Sua opera: voglio riferirmi particolarmente alla Sua *Rivista Palaestra Latina*, diretta con tanta saggezza, redatta con tanta dignità, tanto apprezzata, apportatrice, certo, di tanto bene.

Per tanto, sebbene in ritardo, gradisca ora i miei più sinceri rallegramenti ed i miei più vivi auguri, di una particolare divina assistenza, sopra di Lei stesso, e sopra il Suo meritorio lavoro.

In unione di preghiera, la ossequia distintamente il suo dev. mo in C. I.

HAMLETO TONDINI,
Secretari dei Brevi ai Principi, Roma

Cui Moderator ipse his comitatis verbis dedit responsum:

Misit ad me, frater in Christo et amplissime vir, epistolam officii et benevolentiae plenam, vel maxime gratam ex multis —amicorum, discipulorum, Superiorum — qui sua humanitatis et amicitiae sensa erga me expromere voluerunt; quam cum legerem, imparem certo me tanto honori et laudi habebam.

Cum commemorationem illius faustissimi dei —quo tot divina mihi Christus Dominus, Summus Sacerdos, concredidit— voluissem in intimo recolere et mecum tantum perfrui

fratrum opera factum est ut amici, socii, alumni, Superiores —et praesentes et absentes— una simul mei memoriam facerent, meque multis cumularent fraternae caritatis significationibus. Sacro enim dum illo die operarer —elapsis quinque et viginti annis quibus Dominus ex tot malis periculisque nos eripuit— multi adstiterunt corpore, multi mente et animo: nam vel telegramma et benedictio Summi Pontificis accepta et lecta est et litterae ab Excmo. Dno. Episcopo datae, quibus

socii sese junxerunt Rmus. Moderator Generalis et alii ex Supremo Congregationis Regimine venerabiles Patres multique amici.

Est igitur quod Domino, cui laudes perpetuae debentur, grates quoque ex animo quam maximas agamus.

PALAESTRAE LATINAE —quam P. Emm. Jové pro Christo Domino martyr excitaverat— laudes contexere voluisti, estque nobis pergratum quod tibi aliisque in lingua latina excolenda clarissimis viris et in Ecclesia Sancta honoratissimis oblectamento sit et laudi.

Oro te ut quos habes socios in labore, praesertim amicum nostrum Rmum. Dnum. Carolum Egger, plurimum salvere jubeas. Operae vestrae pro Ecclesia Sancta et nos conjunctos habere velitis.

Valeatis, fratres.

Cum sero quidem audiverim te XXV ab inito sacerdotio anniversarium mox esse celebraturum, gratulor tibi ex animo tantum a Deo acceptum beneficium et bona quaeque a Domino adprecor ut ad multos annos apostolicum munus prosequi et Ecclesiae causam, in ejus lingua totis viribus provehenda docendaque, ut facis, sapientissime, sustinere pergas.

AEMILIUS SPRINGHETTI, S. J.

Romae

Voi invece, carissimo P. Mir, che state sul candelabro nell'operosa Famiglia Claretiana, avete dovizia di frutti da offrire al Signore nel Vostro 25.º; Voi siete come il *vere Israelita* che ascendeva al Tempio nella festa dei Tabernacoli. Che cosa posso augurarVi, e di che cosa debbo pregare Dio, se non che arrivate felicemente al 2.º e al 3.º giubileo, quando Vi sarà concesso di rendere al Signore il doppio di tutti e cinque i talenti che Egli Vi ha dato? Ma la grazia, tutta speciale per voi in questi tristi giorni della passione di Cuba, che chiederò al Signore concelebando con Voi la Vostra Messa giubilare, è che Vi dia la consolazione di veder presto restituita la pace cristiana in quella sventurata isola, dove un secolo fa svolse il suo ardente apostolato, lasciandovi anche del suo sangue, il Vostro eroico Santo, Antonio Maria Claret.

Vivat, crescat, florescat quel popolo lontano, la cui lingua è perenne testimonianza che la sua vera Madre Patria è la Vostra cristiana e cavalleresca Spagna.

Un fraterno abbraccio e il bacio sull'una e l'altra palma con la preghiera di ricordarmi nel memento della messa giubilare.

LUIGI GUERCIO

Salerno

Vicesimus quintus tui sacerdotalis muneris natalis mihi quidem dat opportunitatem meos animi sensus erga te sincere libenterque aperiendi.

Hujusmodi anniversarius ab inito tuo sacerdotio dies quare quantive tui memoria nulla umquam oblivione mihi exciderit et excidat humanitati tuae hoc ipsum dixerim imoque haud cunctanter tibi concedam; nam in commentariis qui inscribuntur PALAESTRA LATINA quosque tu plurimis abhinc annis sollerter moderaris, primum haud facile experimentum et quidem minusculum «cum audacia» feci (quod tua benignitate in fasc. 108, a. MCMXLVII-VIII, pp. 365-366 edidisti!). Nunc autem «Latinitatis causam — hodie pro dolor a multis neglectam» — tecum in «Lingua Latina» minus tamen diligenter proveho.

Gaudeo igitur vehementerque laetor.

Ad multos annos vivas!

PALAESTRA LATINA, te moderante, magis ac magis revirescat!

In Domino vale.

N. LUSITO,

Paola, Cosenza, Italia.

Litore ab Italico ventant tibi munera Musae:
parvo quidem, Joseph, at bona verba ferunt.

Agricola usque bonus tu semina tradere sulcis
non cessas magno motus amore Dei,

nec Latio cessas curas impendere agello,
caelo ne adverso poma benigna cadant.

Agricolae, unde queunt, manent tibi praemia,
[amice,
fructibus atque pium campus uterque beet.

J. MORABITO

Messanae.

En vobis excerpsumus e litteris quae a plurimis Hispaniae regionibus et ab amicis conscriptae ad hanc usque PALAESTRAE LATINAE sedem venerunt, quibusque praedit Episcopus Barbastrensis:

Mi querido Padre Mir: Tengo sumo gusto en enviar a V. el telegrama del Santo Padre con motivo de sus bodas de plata sacerdotales... 25 años de sacerdocio apostólicamente vividos como Misionero del Inmaculado Corazón de María bien vale la pena de celebrarlos con todo el entusiasmo y alegría espirituales.

Como Obispo de Barbastro agradezco a V. y a Dios todo el bien que ha hecho a la Diócesis, no solamente con su oración y con su vida ejemplar, sino también con sus múltiples ministerios de confesión, predicación, dirección de obras.

Sobremana me complace la labor que realiza con las Marías de los Sagrarios y espero en el Señor que multiplique y fecundice esta labor eucarística que es prenda de vida divina.

Mi felicitación más viva y cordial y mi bendición pequeña unida a la grande del Santo Padre.

Affmo. servitor in Cristo,

† JAIME FLORES, *Obispo de Barbastro*

En l'avinentesa de les seves bodes de plata sacerdotals, rebí la meva felicitació cordial i afectuosa. En aquest esdeveniment memorable de la seva vida, consagrada al servei de Déu i dels Estudis clàssics, em plau felicitar-lo d'una manera especialíssima per haver convertit PALAESTRA en una revista modèlica de Filologia clàssica i per haver creat una escola de llatinistes —els que saben escriure i parlar en la llengua del Laci—. I, encara, em plau en aquesta avinentesa, tributar un bon record a l'inolvidable iniciador dels estudis clàssics entre els fills de gran Sant i Humanista, Sant Antoni Claret, l'inefable màrtir P. Jové, que fou un amic dilectíssim.

Que el Senyor vulgui concedir-li llargs anys de vida, encara, fecunda i exemplar.

MGR. ANTONI GRIERA

Sant Cugat del Vallès (Barcelona).

Liceat igitur mihi has qualescumque litteras tuis gratulatoriis litteris addere, quae hac data occasione ad te undique pervenient, non tantum ex fratribus, sed etiam ex amicis et sociis plurimis, quorum consuetudine et dilectione maxime devinctus es, ut sincerissimam tibi gratulationem ob amplissima tua merita reddam et ut in posterum ampliores successus et lauros auspiciari et ominari possim.

Arduum sane transactum tempus et magnis difficultatibus retertum, sed vides jam fructus exitumque praesentem et futurum. Faxit Deus et dulcissima Mater, cujus purissimum Cor tanto ardore tu colis et promotes, ut omnia tua vigeant, floeant, crescant, ita ut, discipulorum stipatus corona, videas PALAESTRAM tuam resque latinas magis in dies excitatas et firmatas ad gloriam Sanctae Romanae Ecclesiae nomenque Congregationis carissimae maxime promovendum.

Macte animo, Miri noster, et sollemni hac die peracta, in nova te proelia praecinge. Tecum erimus amici et sodales et praesertim fratres in Corde Optimo Matris ad causam Latinitatis sustentandam et fovendam, dum foedus illud exurgat latine loquentium jam pridem, at frustra, invocatum; dum latina lingua sensim sine sensu —quod tam diu appetivimus, quod tam diu fuit in votis— universalis lingua inter doctos homines deveniat, vel potius redeat!

Perge igitur in tuo praestantissimo et assiduo labore renovandi, aptandi, firmandi ipsam Latinitatem ad mores et usus hodiernae actuosae vitae. Tecum erimus quicumque miramur et plaudimus voce et manibus opus tuum egregium. Quod si vox deficiat aut ingenii acies torpescat tecum quoque erimus nutu annuentes et stando tuas et palaestricorum victorias confirmantes.

J. M. JIMÉNEZ, C. M. F.

Salmanticae.

Respetado y estimado amigo:

¡25 años de sacerdocio! ¡Hoy es un día feliz! Como seglar le puedo decir que esta cifra me impresiona. ¡25 años dedicados a cuidarnos, a atender la pobreza de nuestros espíritus, a enseñarnos!

Que el Sagrado Corazón de María consiga para usted otros 25 años... y muchos más. Se lo pido a Ella con mi mayor fervor. Respetuosamente,

JUAN MORERA VILELLA

De años atrás me une con el Padre Mir estrecha amistad. Soy un ferviente admirador de su obra, que voy siguiendo a través de la revista y de sus publicaciones con viva complacencia. Conste, pues, mi adhesión al homenaje en honor de este ejemplar maestro, cultivador de las letras latinas con la ciencia y el enardecimiento de nuestros mejores humanistas del Renacimiento.

DR. JAVIER DE ECHAVE-SUSTAETA

Quiero solamente felicitarle de todo corazón y animarle a que siga trabajando según ese su estilo incansable por la Gloria de Dios. Cuando nos toca quemar nuestro sacerdocio en uno de estos puestos «burgueses» en que nuestra labor queda incluso desprovista de ese halo de «apostolado sacerdotal» que ennoblece fácilmente a otros ante el público, no nos queda más que vivir de fe, y aprovechar uno de estos remansos para avivarla: San Ignacio nos dice a nosotros en cierto pasaje famoso que «no menos trabajan en el ejército de Dios los que combaten que los que están preparando las armas»; pues a pari o a fortiori, debemos decir de los que trabajamos por equipar y formar a los futuros combatientes.

Celebre Vd. pues un día de santo regocijo y vuelva a sus tareas monótonas y oscuras con el espíritu dilatado de quien tiene la seguridad de estar haciendo algo grande por la gloria de Dios. Tal vez los latinistas de este siglo vayamos a ser los últimos... «de Filipinas», pero será culpa de la historia, no de los que cumplimos fielmente nuestra misión.

Suyo siempre affmo. en Xto.

FÉLIX SÁNCHEZ VALLEJO, S. J.

Me uno a la felicitación y deseo que en los años restantes duplique el fruto de los 25 anteriores.

LUIS PENAGOS, S. J.

DILECTISSIMO ERUDITISSIMO PATRI
JOSEPH M. MIR VIGESIMUM QUINTUM
A SUSCEPTO SACERDOTIO ANNUM
AGENTI, AMICITIAE ET HONORIS PIGNUS
FELICITER!

Lucis cum tenebris quam celeris fuga
Annos perficiunt circula mensuram.
Ornat nix capitis tempora flammis,
Christi qui accipit oscula.

Gaudens o quotiens sustuleris manu
Sacrato calicem Sanguine amabilem!
Quam dulcis labris insidet Hostia,
Quae cor mellificat tuum!

Duplex te cumulat gloria nobilis,
Sancte dum Domini munera perficis;
Felix dum Latini colligis, artifex,
Verborum sonitus novos.

Det Jesus utinam lustra labentia
Robustos animos non tibi frangere,
Gentis Romuleae quo nova recrees,
Christi dum famulus manes.

JACOBUS FÁBREGAS, PATER.

In Seminario Barcinonensi Latinitatis Magister

En ese 1.º de mayo, esta mi familia que ha podido gustar sus dotes de sacerdote, maestro y amigo, y que en varias ocasiones lo ha recibido como a otro de sus numerosos miembros, dedicará oraciones especiales para que todas las gracias y bendiciones extraordinarias que lleva consigo el estado sacerdotal, lluevan abundantes y luminosas, premio a una labor de veinticinco años, y luz para hacer fructificar otra actuación hasta llegar a las bodas auríferas en este mundo terreno y las diamantinas en la patria que no tendrá fin, cantando las alabanzas y las glorias de Jesús y de su Inmaculada Madre en su Corazón Purísimo.

F. CAMPS CALMET,

impresor de PALAESTRA LATINA

Tárrega.

Hoy lunes, día 24, les envío un pequeño recuerdo (*imago pulchris coloribus et arte mira expressa*) para el Rdo. P. J. Mir, agradeciéndolo.

les el haberme brindado la ocasión y el honor de sumarme entre sus amigos... Ruégole tenga la bondad de incluir el presente dibujo en el álbum que amigos y alumnos del Rdo. P.

Mir le hacen con motivo de sus bodas de plata.

J. M. RAMÓN,

dibujante de PALAESTRA LATINA

Barcelona.

Ves a l'encalç de la paraula...

a l'únic innocent de moltes coses noves, la paraula nascuda temps enllà (miracle de l'estilística del P. Mir) quan encara la cosa no havia arribat a la vida.

Ja té nom la paraula nounascuda;
hom ha teixit de l'aire fugicer
una túnica verge, sens costura...
Per la paraula d'ara, un mot etern.

Altra volta les coses són paraula;
què hi fa que sigui «bomba» o «dinamita»...
tu surts fora del temps i en ta petita
eternitat crees el mot intacte.

Les coses que ha fet Déu han nascut belles,
les dels homes s'han fet entre la sang...
cal remuntar-les rera-temps enllà
cercà un empelt d'eternitat per elles.

Ja els nostres artefactes troglodítics
en les mans de les Muses són garlanda...
Aul i des del teu Laci, Pare Mir,
surt del temps a l'encalç de la paraula...

J. VOLTAS, C. M. F.

Abesse ab hoc testimoniorum choro non poterant amici nostri Germaniae, quibus tam diu P. J. M. Mirius eorumdem latinitatis in primis novandae studiorum causa et amicitiae conjunctissimus exstat:

Jure et merito Kalendis Majis claudentem quinque lustra sacerdotii tui gratulationibus te cumulant amici tui, quos inter ego id potissimum tibi gaudendum censeo quod tam praeclare obsecutus est illi Ecclesiae ad ordinandos admonitioni: uti scilicet odor vitae nostrae delectamentum esset Ecclesiae Christi. Etenim cum Piorum Summorum Pontificum Duodecimus Claretianae Familiae publice tribuit laudes, quod concinnaret *Palaestram Latinam*, ad quem alium praecipua ejus laudationis pars pertinebat, quam ad te, Mir noster, qui quoties magna industria et assidua attentione novum *Palaestrae* libellum expedis, omnes terrae partes gaudente Matre Ecclesia odoras. Ad tam pulchram tamque nobilem

operam ut tibi Deus vitam viresque ad plurimos extendat annos, Kalendis majis sicut multorum amicorum nostrorum, mea ad Deum «originis bonitatis» erit oratio. Fac valeas.

ANDREAS AVENARIUS

Sacerdotii suscepti dies anniversarius profecto satis est causae, cur Tibi, Domine Doctissime atque Humanissime, congratulemur, congaudeamus, collaetemur optima quaeque precati, quibus, qui talem diem festum celebrat, larga benedictione Dei ditatus in praesens fruatur et in futurum. Summi igitur Sacerdotis, qui se ipsum Deo obtulit, ut nos redimeret Patri aeterno reconciliandos,

ut nobis caelos culpis oclusos recluderet, famulus factus et pedisequus et servus et servus, cui servire regnare est.

Ejus ergo consiliis mandatisque obsecutus etiam interpretis et praeconis munere cum salute hominum per plurimos annos jam functus es. Quibus in officiis implendis fines patrios angustos longe excessisti ea lingua usus, quae nobis patribusque ecclesiasticis, qui jam ante multa saecula floruerunt, communis est, ea locutus lingua, quam Pius XI, Summus Pontifex Romanus, divinitus dixit institutam.

Hanc linguam hominibus nostrae aetatis multis de causis inspidam, ut ita dicam, quin etiam exosam viribus contentis conatus es conarisque communicatis consiliis colere et excolere. Ad quod munus exsequendum vestigiis Patris Emmanuelis Jové, celeberrimi illius decessoris, qui martyrium Christi consummavit, feliciter et prudenter et audacter institisti ne momento quidem temporis aerumnis laboribusque commentariorum PALAESTRAE LATINAE conficiendorum defessus vel defatigatus. Immo de thesauro linguae latinae horreoque tuo copiosissimo etiam atque etiam nova et vetera ut paterfamilias evangelicus promere paras alta publice probanda alia jam cunctis prudentissime probata.

Qua copia facultateque fandi mirum in modum eos instruxisti, qui PALAESTRAM LATINAM pervolunt perleguntque. Inde non solum scientia lingua Romanorum imbuuntur dilatanda, sed etiam humanitatis politioris participes fiunt, ejus dico humanitatis, quae ab illo exordium sumpsit, qui propter nos homines et propter nostram salutem de caelis descendit in terras singulariter inhumanandus. Eam ergo viam plurimis praecusam, qua pervenitur ad principium virtutis verae, ad veritatem inquam auctorem gaudii pacisque, permultis aperis. Etenim is, qui munitam viam ingressus erit, citius certiusque ad finem perventet salutarem. Verbum divinum caro factum est, ut nos verbis humanis doceret, quid generi humano servando necessarium esset. Quae quidem verba nullo diligentius servata sermone quam lingua latina maxime perspicua per te nova luce etiam atque etiam illustrantur. Horum dulcedine percepta atque

claritate homines nostrorum dierum intelligent vocibus antiquissimis recentissima quoque describi posse, quamvis interdum novis rebus, ut ait Cicero, nova sint imponenda nomina. Hoc in opere difficilliore perficiendo multa jam et praeclara praestitisti, ubi demonstravisti plurima vocabula vetera nostris quoque conditionibus facile adhiberi et aptari posse, alia ex radicibus vere latinis satis dilucide componenda coagmentari.

Denique is qui linguae latinae hanc tantam indidit gravitatem, pietatem, majestatem, qua veritates aeternae salutis continerentur, Tibi multos et plurimos annos addat augeatque vires, quibus hoc opus enixe perpetrandum cures. Quibus in laboribus perferendis magis magisque velim persentias ejus Te ferri beneficiis, benignitate, gratiis, qui Te tot annis ante Kalendis Majis, id est die postmodum festo Sancti Josephi Opificis, patroni Tui, sacerdoti per pontificem auxit.

P. CAELESTIS EICHENSEER, O. S. B.

Monaco ex Bavaria

Animo praevideo longum ordinem eorum, qui frequentes Kal. Maj. hujus anni undique affluent Mirio meo sacerdotio ante XXV annos Initiato faustitatis, amoris, gaudii serta delaturi. Quapropter etiam me consentaneum est advolare, ut faustam ominer rem maximam. Libet enim honoribus prosequi et colere modestum sacerdotem, quem primum quidem vereri didici acerrimum latinitalis propugnatorem. Attamen non virum linguae latinae studiosissimum hodie in aliquo numero gestio, sed sacerdoti placido i. e. homini, quem numen ipsum divinum peculiari quodam afflatu et instinctu ad magnum ministerium vocavit, ut Christi exemplum exprimens quodam modo fieret hostia pro hominum peccatis, huic igitur officium debitum pio memorique animo tacere cupio simulque Deo Opt. Max. gratias agere pro omnibus beneficiis, quae Ille sacerdotali tua opera usus per XXV annos periculi plenos operatus est. Magna sane res atque digna quae decore et graviter celebretur.

Ideo meum tecum gaudium continere non potui tacitum, sed hanc epistulam mittere debui nostrae laetitiae nostrique amoris prae-

nuntium. Scito enim aliquod munusculum memoriae servandae causa tibi donatum tri. Interim id unum opto, ut vis atque ardor, quibus inflammatus erat juvenilis tuus animus, cum episcopus quidam tibi manus ante hos XXV annos imposuit, te usque urgeat. Nostra autem Domina, cujus Cordi corde incalcescente te devovisti, et Divus Joseph, cujus nomine mecum appellaris, caelestem Filium implorent, ut magis magisque Christi Sacerdotis formae conformeris

Ceterum ipse cum uxore et filijs et filia sollemnitati, quam propter sacerdotalis muneris natalem, mi Miri, acturus es, aderimus animis exultantes laetitia. Confertum congratulantium agmen claudemus. Totus tuus

JOSEPH HOLZER

Saraludovici, in Germania.

Jubilaeum sacerdoti his diebus celebras, id quod tibi summo honori, sociis latinitatis maxime est laetitiae; gratulor tibi ex imo

Haec tandem testimonia legantur oportet amicorum qui ex Gallia quoque et ex Belgio et ex Civitatibus Americae Foederatis imo corde Moderatori PALAESTRAE LATINAE gratulantur:

Qui pourrait se douter, après vous avoir vu si jeune, si actif, que vous avez été ordonné depuis 25 ans, que depuis 25 ans vous vous consacrez à la tâche écrasante de faire connaître le Bon Dieu et de faire ressusciter certe vieille langue latine qui est la langue de l'Eglise!

De tout coeur, mon Cher Révérend Père, au nom de «Vita Latina» et en mon nom personnel, je vous envoie mes très vives félicitations et mes souhaits que vous poursuiviez longtemps encore la tâche magnifique que vous avez entreprise.

De tout coeur et très respectueusement à vous, mon Cher Révérend Père, pendant cette journée qui marquera dans votre vie de Prêtre.

EDOUARD THÉODORE AUBANEL

Avignon.

Mihi summa laetitia est, optime vir, anniversarium diem consecrationis sacerdotalis agere. Propter hunc faustum diem, totam ami-

corde et opto permultos fructus vitae tuae utilissimae sacerdotalis. sacerdos animarum es atque latinitatis eo modo ut actio utraque omnibus sit commodo qui tua consuetudine uti solent. Vale, optime P. Mir. Te salutat acerrime

DR. AEMILIUS ORTH

Germania.

JOSEPHUS EBERLE REVERENDISSIMO

PATRI JOSEPHO MIR

(TELEGRAMMA)

Ego quoque memini
tui, vir, diem;
accipe benevole
cordis vota mei.

Fruere laetitia
gratiaque Dei,
nunc ut illo tempore
cum te dabas ei.

citiam, admirationem, laudem meam benigne accipe.

Amicus quidam meus, qui anniversarium diem consecrationis non longe abhinc egit, nunc lector PALAESTRAE, dicere solebat se, sicut Maria, optimam partem elegisse. Non solum, ut sacerdos optimam partem elegisti, sed etiam optimo modo Domino nostro servisti, id est, linguam Ecclesiae Suae colendo, docendo, propagando.

Multarum rerum oblivisci nequeo. Primus fulisti quocum latine commercium epistularum inivi: quod faciendo imperitiam meam non contempsisti, sed consiliis optimis me adjuvisti. Quanta voluptate, PALAESTRAM, te moderante in lingua nostra legimus! Scriptis PALAESTRAE, epistulis amicalibus, ardorem stimulas, fidem debilem confirmas. Utinam multis annis hanc optimam operam perficere possis, in quibus et scientia et fides tua quam plurimis discipulis communicari possint!

Nunc toto corde erimus tecum fausto die

consecrationis tuae. Ama nos et vale, reverendissime vir in Domino nostro.

CL. FXARTENSIS MYSCA

Camberii in Gallia.

Certior factus te quinque et viginti jam annos sacerdotio functum occasionem nolim praetermittere tibi ex animo gratulandi, nam

hoc longo tempore et Deo tuo et generi humano optime servisti

In votis est ut eodem officio multos per annos fungi liceat ut tandem ante thronum Dei stanti dicatur: *Bene meritis es!*

BONAMICUS ACTENSIS

Hartfordia Connecticutensium Occidentalis, U. S. A.

RDO. PATRI JOSEPHO MARIAE MIR
ARGENTEAS SACERDOTII NUPTIAS FELICITER CELEBRANTI
LEO MARIA SANSEGUNDO
EFFUSO GRATOQUE ANIMO GRATULATUR EIQUE
MAXIMAS CHRISTI DIVITIAS ADPRECATUR
UT NUNC PLURIMOS IN ANNOS CHRISTUM TENEAT
DEINDE IN AEVUM SEMPITERNUM
DEI INTUITU EJUSQUE AMPLEXU
PERFRUATUR

P. LEO MARIA SANSEGUNDO, O. S. B., Medellin, in Columbia

Fidèle serviteur de l'Eglise dans votre sacerdoce et dans l'enseignement de cette langue catholique et ecclésiastique qui est le latin, cet hommage de vos anciens élèves, prêtres à leur tour, vous parvient de toutes les contrées, lui aussi ecclésiastique et catho-

lique dans son expression. Je m'en voudrais d'y manquer. Je m'associe donc de tout cœur à la joie de votre communauté dans votre 25^e anniversaire sacerdotal.

F. M. ALBA, C. M. F.

Sainte-Gemmes-sur-Loire, in Gallia

JOSEPHO MARIAE MIR
SACRI ORDINIS ACCEPTI
LAETUM RECOLENTI DIEM
CONGAUDENS
PLAUSIT
JOSEPHUS IJSEWIJN
ANTVERPIENSIS
AMICUS

Sancte Dei praeco linguae columenque latinae,
Te Christi servum mirum famulum atque Camenae
Flandria nunc celebrat, sertis quae mittere gestit
festivi florem. valeasque diu, pater, optat
inter amicitia, studio vel sanguine junctos.

JOSEPHUS IJSEWIJN, Antverpiae in Belgio

Quibus omnibus et Superioribus et amicis et discipulis multis qui XXV anniversario die ab inito sacerdotio kal. maj. a. MCMLXI comiter sunt gratulati omnia ipsi fausta deprecantes his verbis sinceritatis gratique animi plenis P. J. M. Mirius respondit:

Optimis fratribus sociisque intimis salutem plurimam.

Summa illa benevolentia —quam erga me habuistis— quo die vicesima quinta agebatur anniversaria commemoratio a suscepto Sacerdotio, mira quidem mihi visa est cum me tanto honori prorsus imparem cogitarem. Vos enim una cum fratribus sociisque hujus Collegii Claretiani consociati illi diei festo celebrando nobiscum mente affuistis et illa praecipua et insignia amoris studiique officia sincero animo vel absentes expromere voluistis.

Vos vestris epistulis, expolitis carminibus votisque vel telegrammate ab Hispania, Italia, Gallia, Belgio, Germania, Civitatibus Americae Foederatis... delatis florum fasciculum contexuistis, mihi dicatum et illi consilio inceptoque quo sub PALAESTRAE LATINAE nomine entimur ut litterae humaniores et lingua imprimis latina florenti studio impense ubique terrarum excolantur.

Sed hi flores eorumque fragrans odor —quos grato et libenti animo e labris manibusque vestris excipere cogor— mei quidem non sunt: id probe scio vosque pro certo etiam habere cupio; nam ex hoc, in quem nunc ascendimus, vertice, inspicite, oro, qui praeunt: majores nostri hanc aperuerunt viam eamque ut nos certo pede decurrere possemus suo sudore probe straverunt; inspicite qui nobis venerunt et adstant adjuutores suamque operam et diligentiam, ut hanc assequi metam possemus, contulerunt: ne nos rei species et nitor fallat; hi sunt qui ante nos venerunt et vicerunt. Eorum memoriam teneamus eorumque imago menti insidens novas sufficiat vires ad illa summa quae adhuc exstant cacumina superanda; inspicite iterum, quaeso, disciplinarum magistros, animi praeceptores omnesque illos qui nobis opem tulerunt ut hic dies festus sua splenderet claritate —augusta Christi Vicarii in terris benedictione sacratus epistulisque ab Excmo. Dno. Episcopo et Rmo. P. Superiore Generali ab aliisque clarissimis viris missis cumulatus—.

Quae tamen, carissimi fratres optimique amici, minima quidem sunt: mentem nostram in superiora pie erigamus illuc unde «omne datum optimum desursum est descendens a Patre luminum...», qui sempiterno suo nos amore consociare voluit et in hoc luti vasculo —quod nos dum vivimus gerimus— scintillam illam fulgentem flagrantemque gratiae suae divinique Sacerdotii immisit ut hominum mentes doctrina fide moribus ad Christi specimen et exemplar nos ejus ministri et sacerdotes conformaremus.

Quae —sacro nobis tradito ministerio— manibus contrectavimus divina animisque gustavimus, utinam aliis explicare discamus ut intellecta animo percipiant, mente ament, moribus operentur.

Quam omnium vestrum adhuc intimam habebam memoriam, in posterum reconditiorem me habiturum promitto.

Dabam in sede PALAESTRAE LATINAE et in Collegio Claretiano a. d. V. nonas Majas, Barbastro. — J. M. MIR, C. M. F.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

Eclogariorum Curator

PER ORBEM

Sine dubio qui latinitatem toto amore prosequimur ejusque usum tutamur, praesenti aetati obsumus.. Qua re recedamus oportet. Non ita pridem in commentariis hispanicis —neque parvae auctoritatis— de lingua «*Esperantica*» nescio quis verba faciebat, quam quidem optimis verbis commendabat in eaque —candide ut opinor— spem futuri temporis collocabat. In cujus laudem haec fere proferebat: omnibus facile perviam esse utpote radicibus constet latinis magna ex parte et graecis. Cum hujus argumenti vim perpenderem, subito spes mihi renasci visa est. Nam qui latinum sermonem colimus et graecum, summa facilitate linguam «*Esperanto*» discemus. Ergo nos futuri saeculi viri... Qui vero ignorent, aut «*Esperanticam*» linguam discendo radices graecas latinasque ediscent, aut potius latinum graecumque sermonem ediscent ut «*Esperanticum*» calleant... Quibus in latinum nostrum redimus...

Nemo est qui ignoret viros esse qui rebus publicis moderandis omnino vacantes, veteres linguas sciant easque amore prosequantur. In quibus sunt MAC MILLAN, angulus, Rudolphus HEUS, germanus (cfr. PALAESTRA LATINA, 29 (1959)162), Renatus COTY, gallus (PAL. LAT., 28 (1958) 487-488). Quibus adde Amyntorem FANFANI, italum, qui quidem librum de Homero, oecomonico viro, nuper scripsit.

Nuntium de latinitate iterum in Italia periclitante ex commentariis qui *Latinitas* inscribuntur desumam:

•Quod discrimen, in schola medi ordinis in Italia impendens jam denuntiavimus, in rem nunc certe deductum esse videtur. Etenim, curante Italico Consilio publicae institutioni praeposito, superioribus diebus per commentarios vulgata est studiorum horarumque ratio, quae in nova hujusmodi schola *in unum redacta*, quam vocant, in usum posthac recipietur.

Ex hisce nuntiis patet, latinam linguam his tantum discipulis traditum iri qui eam poposcerint, eamque technicis exercitationibus praeoptaverint. Nec satis: alumnos tantum secundae et tertiae classis, quattuor per horas in hebdomada, hac disciplina erudiri.

E studiorum ratione, quae in notitiam perlata est, animadvertimus hujusmodi insti-

tutionem nimis coangustatam esse, ut ad minimam prorsus formam redacta esse videatur. Alumni enim elementariam tantummodo sermonis cognitionem adipiscentur, quandoquidem de praecipuis grammaticae difficultatibus deque verborum structura tunc tantum data occasione agetur, cum in optimorum auctorum libris legendis haec occurrent.

Ne autem omnia nigro dente petere videamur, quaedam in hac studiorum ratione laudanda sunt, veluti cum doctores suadentur, ut discipulos ad faciliores optimorum scriptorum locos omni ex parte intellegendos, atque ad Romanorum instituta et mores summatim cognoscenda maxima contentione perducant. Sed haec nequaquam sufficiunt ad pueros latina lingua expoliendos qui huma-

nitatis studia persequi cupiant: ideoque facile continget, ut ad Gymnasia adulescentes admittantur; qui latina lingua tantum tincti sint, ita ut necesse sit eam ab integro discant,

magno sane cum scholae detrimento. Haud laetae igitur spes in Italica natione latinitati portenduntur. (*Latinitas*, 9 (1961) 218-219).

Summus laureatusque saepe poëta Victorius Genovesi, S. J., ob carmen latinum de Olympiis conditum aureo nummo donatus est a Julio ANDREOTTI, consilii Olympiis moderandis praeside. Quod carmen exquisita arte in membrana scriptum JOANNI XXIII Pontifici Maximo a. d. IX kal. sept. superiore anno MDCCCLX cum aliquot aliis donis ab Athletis oblatum est. De tanto honore tanto poëtae gratulamur ex animo.

Inguanus Strawinski, musicus praeclarissimus ac nobilissimus, a. MDCCCCXXVII «Oedipum Regem» quem — a Joanne COCTEAU gallice aptatum, latine reddidit I. DANÉLOU — musicis modis vestivit.

Ineunte autem mense decembri superiore anno carmen televisice emissum est, concentum sane et auribus jucundum et visui. Cantores autem ut totum carmen vetustate veluti perfunderent ac majore vigore donarent, instaurata sunt pronuntiatione usi.

Superioribus annis Romae quoque pronuntiata sunt carmina BURANA, in illis concentibus quos Societas a Sancta Caecilia quotannis habendos curat (Cfr. *Latinitas*, 9 (1961) 69-70).

Si vis jubiliaea celebrare et animo saltem epulari, en calendarium hominum nobilissimorum quorum memoria celebranda fuerat: primum quidem vehementer dolemus quod hos annos seu dies festos omisimus: a. 1958 XXV centenarium annum praetermisimus ab Heraclito orto (541 a. Ch. n.), anno 1956 Aristophanis, a. 1957 vel 58 Lysiae (a. 444 vel 443 a. Ch. n.), a. 1959 vel 1960 Menandri (a. 342 vel 341), a. 1960 Epicuri. Jam antea agere potueramus expletum saeculum a Platone mortuo (a. 348 vel 347). Nunc animum adverte ad ea quae poteris sine dubio agere, modo velis et in vivis numereris: anno 1963 Isocratis mortem commemorare licebit ejusdemque nativitatem anno 1965, nam saeculum tota sua aetate superavit (436-338). Anno 1966, anni fere 2100 e Posidonii nativitate (a. 135) complebuntur. Si annum 1968 vel 1969 attigeris, memoriam Zenonis Stoici agere poteris, qui natus est a. 333 vel 332 a. Ch. n. (cfr. *Estudios Clásicos*, 6 (1961) 245-246).

Vasingtonii constituetur Institutum studiis graecis provehendis (*Center for Hellenic studies*). — Hunc in finem consociatio *Old Dominion Foundation* quinquagies centena milia (5.000.000) dollarium concessit, ex quibus annuae studiorum pensiones (*becas*) 6.000 dollarium concedentur illis viris feminisve qui commentationes de litteris, philosophia, historia, arte, religione tempore classico hellenistico parare voluerint. Qui tanto adjumento frui velit, annum aetatis vicesimum inierit, tricesimum quintum non excesserit

oportet, deinde litteris adeat cl. v. J. P. ELDER, *Graduate School of arts and Sciences, Harvard University, 417 Broadway, Cambridge 38, Mass, USA.*, eique curriculum litterarium emensum describat et argumentum quod sibi evolvendum susceperit.

In eadem Studiorum Universitate Harvardiana tumultus factus est eo quod ejusdem Praeses Nathan M. PUSEY nuntiavit diplomata —abhinc 325 annos latine semper descripta— in posterum anglice scriptum iri. Scholasticorum quattuor milia validis vocibus totisque lateribus conclamantes horis vespertinis duorum dierum, etiam civilibus custodibus «lacrimogenis bombis» munitis obsistentibus, clamabant: «*Sermonem latinum volumus, Pusey nolumus!*». Dicitur Praeses, tot juvenibus ad januas horti clausas vociferantibus, exclamasse: «*Nescio quid eo clamore significetur; his enim horis vespertinis Horatio legendo maxime delectabar*»... (cfr. *Estudios Clásicos*, 6 (1961) 248).

Anno 1959 et 1960 papyri magni momenti editae sunt, sed non minoris momenti alia nuper inventa est, qua capita III-XVIII et XXII-XXIV Sancti Lucae (*papyrus Bodmer XIV*) et I - XV Sti. Joannis (*papyrus XV*) continentur, et anno ducesimo (vel paulo ante) est adscribenda.

Sicut de «mercato communi» saepe audisti in Europa, ita de *Schola europaea* et de *Universitate*. Quattuor adhuc apertae sunt scholae hujusmodi: Luciliburgi (*Luxembourg*), Bruxellis inque urbibus *Mohl* et *Varese*. In quibus annus rebus antea traditis memorandis et complendis tribuitur, duo aliis disciplinis ut alumnus quis sit quidque ingenii valeat demonstrat; per quattuor denique annos —baccalaureatus europaeus septem annis completur— alumnos eligat oportet ex baccalaureato humanistico, scientifico, recentiore. In primo praecipue vacatur linguae latinae, graecae, mathesi, philosophiae (linguis duodecim saltem horis in hebdomada est vacandum); in secundo primum locum tenet mathesis, quam sequitur sermo latinus et scientiae. In tertio, qui quidem minoris habetur, cultus generalis traditur, sine latino sermone. Uno verbo ut scripsit E. HERNÁNDEZ VISTA (*Estudios Clásicos*, 6 (1961) 267) cum Europa ipsa se quaerit, intuetur se viam esse inventuram de Graecia et Roma cogitando.

**Si quando Romam aëroplano vectus ad novum aëroportum appu-
leris**, latine salutaberis. Nam in novo aëroportu ante d. XIII kal. sept. Fos-
sae Trajanae inaugurato, statua in LEONARDI DA VINCI honorem erecta est,
ad cujus statuae pedes hi versus, Hippolyti Galante poëtae inscripti sunt,
quos legas si libet:

Quam pede nunc premis haec est, hospes, Romula tellus,
qua nullus toto clarior orbe locus
Imperii longo secturae tramite fines
principium celebres hinc habuere viae.

Claudius hoc reduces voluit consistere portu
 quae mare per nostrum vela tulere rates;
 Quo cunctis aditus terraque soloque vehente
 Urbis ad aeternae moenia celsa foret,
 Quique habitet Gades Euxinique incola Ponti
 quique Araris lymphas qui Phariasque bibunt
 excepti placidis Tiberis requiescere ripis
 materno possent pignora cara sinu.
 Illud erat reliquum ut potior terraque marique
 flabile praerberet vastus Olympus iter.
 Hoc ego praesago divinans corde futurum
 aetereas docui primus adire plagas,
 prospectasque animo nunc alas undique denso
 agmine contemplor me volitare super.
 Gaude, Roma parens, terrestrem sedibus unam
 praelatam reliquis quam colit ipse Deus!
 Gaude, diva, tibi quod trina elementa paratum
 cernis in obsequium prona coire tuum!
 Tuque, hospes, gaude complexum saecula multa
 hic praesens una cui patet omne decus,
 quod tibi si tanto mens obruta pondere rerum
 audendi dubio spem perimente metu
 nil quod sors hominum valeat producere majus
 viribus effetis jam superasse putet.
 Adspice me latiamque istis magis ardua gentem
 moliri ingenio posse fatere suo.

Ut in *Latinitate* legimus, «Cl. Doctori Galante dum de pernobili epigrammate gratulamur, quod omnium fere sermonum peregrini, qui ad Romanum aëroportum posthac accedent, non modo ab illius viri imagine salutabuntur, qui *aethereas docuit primus adire plagas*, sed etiam, quod pluris est, Latina compellabuntur lingua, qua omnium populorum varietas ac dissimilitudo componitur».

(*Latinitas*, 9 (1961) 68-69)

Cl. vir Marouzeau in commentatiuncula (cfr. *Revue d'Études Latines*, XXVIII (1960) 80 sq.) de paedagogia in latina lingua tradenda disputavit haec fere proponens hinc optimos captuque facillimos libros habemus..., inde magistros dolent alumnos latine nescire — ita audimus—. Et quaerit num inter libros tam «paedagogicos» et pueros tam ignaros relatio intercedat causae et effectus... Quidquid est id certum habendum: alumnorum; parcimus labori, latinum damus sine lacrimis, id est sine contentione, sine animi vera adversione... Quaedam grammaticae latinae evocant ultimam paginam non-

nullorum actorum diurnorum... Inter tot tantaque, alumnis potius conturbantur mente quam ducuntur, ad verba non attendunt neque grammaticam discunt.

Harum facillimarum grammaticarum causam inde revocat MAROUZEAU quod sermo latinus —ex quodam praejudicio— vivus ac vicens haberi vult. At tamen quem sermonem latinum docere tenemur penitus demortuus est.

Placet quod clarus vir de facilitate nimia dicit. Quod vero de usu linguae latinae vigenti, non placet. Nescio quidni lingua quae ubique terrarum plus minus ab excultissimis viris colitur, vinculum commune inter eos haberi nequeat. Immo sub colore utilitatis, facilius in societatem omnino ad utilitatem prospectantem invehemus latinum veram, quae non utilitatem sed animi cultum sectatur.

Certaminis Vaticani IV victores sollemniter sunt renuntiati iidemque praemiis decorati. Alterum praemium (primo nemo dignus est habitus) Aloisius DEL SANTO; laude digna Sophia BRIANZA. Ex ordine poëtarum primo praemio est ornatus Josephus MORABITO ob carmen: *ER*. Altero praemio digni habiti sunt ex aequo Josephus MORABITO et Josephus VENTURINI. Ob duo carmina laude dignus est habitus Olynthus PASQUALETTI.

Ex ordine alumnorum altero praemio est ornatus Leonillus ZANCONATO.

In conventu celeberrimo quo victores renuntiati sunt hoc Summi Pontificis telegramma lectum est: *«Augustus Pontifex, admodum delectatus, quod Riariae Curiae in oeco maximo, nobilis Vaticani Certaminis palmas assecutis praemia attribuuntur, suas adhibet laudes iis qui diligenter et perite hujusmodi instruxerunt certamen atque plurimum cupiens ut id ad latinitatis flammam alendam propagandamque magnopere conferat et in hac liberalium studiorum palaestra, numero et virtute valida egregiae spei ingenia excitet. Victorum manipulo, et universis qui amplissimo consessui intersunt, apostolicam benedictionem peramanter impertit».*

Jam V Vaticanum Certamen proclamatur in annum 1962. Tempus quo operum exemplaria mittantur, kal. januariis finiet.

Si quando mihi evolare aëroplano contigerit, velim aëroplanis Societatis Air France nuncupatae. Ecquid tandem? Quod latine folia commendaticia ad sacerdotes latine scripta misit. Lege si libet:

Ad sacerdotes peregrinantes adjuvandos

XX universi terrarum orbis aëroportibus... omnibus sacerdotibus catholicis, qui aëronavibus Societatis «Air France» nuncupatae utuntur, licet *sacrum* facere vel in aëroportuum sacellis vel in locis apte ab «Air France» dispositis atque altari portatili ab eadem Societate munitis.

Societas «Air France» humaniter rogat ut Sacerdotes, qui iis commoditatibus frui velint, indicent se *sacrum* facturos aut ejusdem

Societatis procuratori aut itinerum negotiatori, scilicet cum scidulam viatoriam emunt vel maxime horis XXIV antequam proficiscuntur».

Alibi in eodem folio commendaticio capsella altare continens describitur et paramenta, inter quae «planeta versatilis quae atteri non potest»...

Societati «Air France» et quod commoditates praebet et quod latine praebet gratulamur..

Acta diurna l'«Osservatore Romano» die 25 m. aprili commentationem summi momenti ediderunt de sermone latino in Ecclesia Catholica. Si liceret integram hic inserendam curarem... In summam tamen brevissimam quae ibi dicta sunt cogam.

Lingua latina ideo sermo Ecclesiae est apertissimus quod triplici pollet virtute: est enim

1) *universalis*, quippe quae sit super omnium gentium cultum et humanitatem,

2) *immutabilis*, cum jam tempora omnia vicerit,

3) *non vulgaris*, nam cum nullius gentis sit, ad immutabilitatem doctrinae servandam melius confert quam recentiores linguae quae quotidie teruntur et mutantur.

Praeterea lingua latina haec commoda habet et utilitatem: nam est

a) *clavis* qua praeteritorum temporum thesauri reserantur,

b) *fons* est vitam spiritualem fovens et recreans,

c) optimum validissimumque *humanae institutionis instrumentum*.

Ideo omnibus clericis cognoscenda est et utenda si re vera Ecclesiam diligunt et volunt Patrum, Scriptorum, Liturgiae, Theologiae nutrimento nutriri quo omnium temporum

viri fortissimi ac doctissimi nutriti sunt et roborati. Quam qui ignoret linguam «*lamentabili mentis laborare squalore*» (Pius XII) sentiat.

Non semel aliquem clericum audivi sermonem latinum fere contempnentem his praecipuis de causis: 1) *sermo latinus scitu difficilis*, ideo reiiciendus et contemnendus, recentioribus linguis facillioribus sufficiens. Cui respondebo: qui post IV vel VII annos sermonem latinum versans quotidie non didicit, ne dicat sermonem difficilem, profiteatur mentem suam difficilem vel saltem voluntatem...

— *bonum animarum*, inquit, postulat ut illis panem tradamus quem edere possint. Optime dicis. Noli illis latine loqui. At mentem latina lingua exerce et effinge quo melius rem apte conceptam rite aliorum mentibus accommodes et tradas.

— *ratio pastoralis vult...* Non tu ex te pastor es, sed ab Ecclesia constitutus. Nullo modo melius pastoris vice fungeris quam Pastorum Pastoris praeceptis obsequenti animo parens

X Conventus internationalis linguisticae et philologiae romanicæ. Argentorati (*Strasbourg*) a die 23 ad 28 m. aprili a. 1962 congregabitur. Conventui praeerit cl. v. Marcellus SIMON in Argentoratensi Universitate Litterarum facultate decanus. In eo de ratione et via linguisticae generalis recentiore, de convenientia et conjunctione inter «facta» historica et culturalia et «facta» linguistica, de convenientia inter diachronia et synchronia, de sermone colloquiali et scripto quomodo differant, quomodo inter se referantur, de geographia linguistica, de linguis romanis extra antiquae Romaniae fines, cet.

Certamen Capitolinum XIII: Institutum Romanis Studiis provehendis, ad novum prosae latinae orationis certamen omnes omnium gentium latini sermonis studiosos homines invitat, sperans fore ut ex nobilissimorum ingeniorum concertatione aliquid emicet, quod Quiritium maiestate facundiaque sit dignum.

Exitum certaminis a. d. XI Kal. maj. a. MDCCCCLXII, die Urbis natali, in aedibus Capitolinis, Romanae civitatis Magister in oratione, quam de more habiturus est, renuntiabit.

E vivis decesserunt: In urbe *Quito* P. Aurelius ESPINOSA PÓLIT, S. J. postquam totam vitam ministerio verbi vacaverat et classicis auctoribus investigandis praecipue Horatio et Vergilio, quorum opera interpretatus est quam qui maxime apud eos qui hispanico utuntur sermone.

Barcinone mortem obiit Emmanuel DE MONTOLIU, die 18 mensis maji a. 1961, litterarum hispanicarum existimator peritissimus. Maximum ejus est opus: «*Breviari critic*», quamplurimos praeterea libros edidit et commentationes cum de scriptoribus hispanicis tum de catalaunicis, quos penitus cognoscebat.

Vilelmus D. ELCOCK in Universitate Londinensi (*Westfield Collège*), quinquagesimum aetatis annum nondum adeptus, die 7 m. oct. a. 1960. Studiis romanicis vacaverat, praesertim quae ad phoneticam et vocabularium Aragoniae spectant.

Flumine Januario, nondum anno quadragesimo tertio expleto Seraphim DA SILVA NETO, qui Appendicem Probi ediderat. In latinum sermonem vulgarem maxime incubuerat et in linguam lusitanam.

Die 8, m. martio a. 1960 mortem obiit Henricus WEINSTOCK, ortus in urbe Rhenana *Elten* a. 1889, qui quid graeci senserint saepe investigavit investi gataque tribus libris continuit: *Die Tragödie des Humanismus, Arbeit und Bildung, Realer Humanismus*.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

EPISTULARUM INTER SOCIOS COMMERCIIUM

Reverendo Patri J. M. Mir, Fr. Basilius, O. S. B. s. d. p.

Maximas gratias ago Patribus Claretianis qui mihi per totum annum proximum PALAESTRAE LATINAE libellos benigne miserunt. Quos libellos, mihi tantopere jucundos, magna cum utilitate et gaudio lego. Nec semel tantum lego, sed saepius ad eos redeo quos jam antea legeram. Quod cum nuper facerem, aliquid mihi in mentem venit quod tecum communicare volui.

In eo enim libello, qui anno 1958 primus editus est (N.º 161, p. 293), id agitur quo modo latine vocari possit hujusce temporis machina quam Itali: *apparechio a reazione*, Galli: *avion à réaction* vocare solent. Proponit Italus quidam A. P. (quem, cum Frusinone scribat, Amadeum Pacitti esse suspicor) vocem: *aëris-hauritorem*, quam vocem tu in *aërishaustorem* commutari vis. Quod cum legissem, hae voces mihi aliquatenus durae, nimisque longae visae sunt. Quaerebam igitur num eadem res brevius ac simplicius dici posset. Ac primum duae voces sese ad animum obtulerunt, quae sunt: *aërivorus*, et *ventivorus*. Hae satis placebant. Postea autem memini has machinas non proprie aëra vorando, sed potius rejciendo ac repellendo progredi, ideoque melius et rectius dici posse: *aërivomus*, vel *ventivomus*. Ulterius autem quaerenti quo modo latine vocari posset machinamentum illud quo violentissime aër repellitur (gallice: *réacteur*) vocem aliam excogitavi, quae est: *efflator*.

Has igitur voces tibi propono, ut mihi dicas quid tibi videatur:

—*avion à réaction*: *aërivorus*, *ventivorus*; vel potius: *aërivomus*, *ventivomus*;

—*réacteur*: *efflator*, oris.

In PALAESTRAE LATINAE libello 172 (p. 232) legi, pro verbo hodierno «*aperitif*»: *nectar apertivum*. Quidni potius usurpetur vox: *propoma*, *atis*, quam apud veteres in usu fuisse testatur lexicon Forcellinianum?

De his omnibus quaeso mihi sincere ac benigne respondeas. Te etiam rogo ut mihi hoc etiam anno PALAESTRAE LATINAE libellos benigne mittas: maximae enim mihi sunt utilitati simul et oblectamento.

Paschalibus diebus tui apud Dominum memor ero, Pater in Christo carissime. Amanter impertiat tibi Christus Resurrectionis suae gaudia. Vale in Domino.

Scr. Dorniae, a. d. IX Kal. apr.

FR. BASILIUS, O. S. B.

Josephus M. Mir, C. M. F., Rdo. Patri Basilio, O. S. B., sal. pl.

Litteras tuas libenti an mo accipi tuisque quaesitis responsum do.

Primum scias velim me illam vocem «aërishaustorem» vel «aërihaustorem» tantum proposuisse magis idoneam magisque ad ipsam indolem linguae latinae consonam quam «aërishauritorem» —hanc enim primum scripsit A. Pacitti—. Nam haec verbalia in *-itor* desinentia potius ex supino (*haust-um*) desumuntur, et ideo aptior forma erit: *haustor* quam *hauritor*. —Deinde verba quae tu promis pro «aërishaustore» non facile probarem. Primum quia verba nonnihil poëtica sonant quae ex *-vorus* et *-vorus* finguntur; deinde —et haec potissima est ratio—, rem ipsam —sicut etiam *efflator*— non plane significare videntur. Nam in hac vulgari voce «réacteur» latine convertenda ad rem ipsam, quam significare cupimus, animum intendamus oportet. Rei vero notionem aptissime Card. Bacci exprimit (cfr. *Lexicon*. s. v. *aeroplano*); qui quidem habet: «aëronavigium contraria vi propulsum». Locutionem tamen seu rei explicationem nonnihil rescindere et contrahere possumus —ut mihi videtur, ac saepe in novis fingendis vocibus defendimus—, nam neque nos nostris linguis ita res multis verbis definimus. Verba igitur ita contrahere possumus: «aëroplanum propulsum», cui adjectivo «propulsum» hanc demus significationem ut sit *contraria* seu *inversa vi* propulsum, sicut voci *reazione*, *reattore*, *reactor*, multa nunc addimus quae ex sui intimo sensu hae voces secum non ferebant cum primum apud nos recentiora inventa nondum reperta erant. Quae tamen si tibi non placent adhibe locutionem Baccianam.

Propoma, *atis*, quod tu proponis pro «aperitif», probandum quidem est, cum ejus sensus bene rei quadret, quamquam e graeco fonte ducitur; sed haec vox eadem fide et auctoritate in lingua latina habenda est atque «apertivus», «aperitivus»: utraque enim vox cadentis est latinitalis. Ceterum in lexico Bacciano et «propoma» et «potio apertiva seu aperitiva» habentur.

Quod PALAESTRA LATINA tibi admodum placet et nos vehementer gaudemus; eam in posterum tibi mittemus.

Valetudinem tuam cura diligenter ac nostri memento.

Scribebam a. d. X Kal. Majas, anno MCMLXI, Barbastro.

Bonamicus Actensis Josepho M.^{ae} Mir Reverendissimo Clarissimoque Moderatori
PALAESTRAE LATINAE s. p. d.

In numero 172 PALAESTRAE, pag. 225 P. Caelestis, O. S. B. sententiam meam his verbis redarguit: «...ejus sententia, qua putavit ibi latine dicendum esse «benigne», ubi Angli dicere solent *thanks* et *no, thanks*, Francogalli *merci*, Germani *danke* ad naturam linguae latinae minus convenire mihi videtur, cum praeferenda videatur, dictio «gratias». Tum exempla ex Petronio et Panneg. profert. Recte ille sane, nam «gratias» tantum omisso verbo non nun-

quam dicebatur, sed cum negat «benigne» ad naturam linguae latinae convenire, ille sane perperam mea quidem sententia, namque apud Horatium *Epist.* 1, 15-16 legitur: «Vescere sodes». «Jam satis est». «At tu quantum vis tolle». «Benigne»; et ibidem v. 62: «Dic ad cenam veniat». ...«Benigne» respondet. «Neget ipse mihi?». «Negat improbus et te Neglegit et horret. Certe in utroque loco «benigne» significat *No, thanks, merci, ich danke*.

Tum apud Ciceronem, *Verr.* 2. 3. 85. 196 haec inveniuntur: «frumentum, inquit, me abs te emere oportet. Optime. Modium denario. Benigne ac liberaliter nam ego ternis HS non possum vendere», cet. In his locis sine dubio negatur.

Apud Plautum, *Truc.* 1. 2. 27. *Ast.* «Peregre quoniam advenis cena datur». *Di.* «Benigne dicis, bene vocas, Astaphium». Apud Terentium quoque *Ph.* 1. 9. 62. *Na.* «Phormio, at ego ecastor posthac tibi quod potero quae vales faciamque et dicam». *Ph.* «Benigne dicis». In his locis sine dubio dicitur cenam gratam fore aut gratiae aguntur.

Semper plane, cum «benigne» solum dicitur, subauditur verbum ut «facis, fecisti, dicis, offers», cet.

Utrum in aevo aureo linguae latinae «benigne» semper, «gratias» nunquam dictum sit an in sermone vulgari tantum: «gratias» positum sit dicere non ausim, sed hoc dicere audeo: «benigne» valuisse aut «thanks» aut «no, thanks» aut «danke schoen» aut «merci», h. e. sic gratias agi aut negationem promi.

Ne plura, pro re levidensi ut gratiae agerentur, sufficebat dicere «benigne», verum pro dono magno, ut *Cic. Epist. Fam.* 10, 11, 1: «immortales ago tibi gratias agamque, dum vivam», et alias similiter.

Praeterea quod ad nomen meum attinet, anglice vocor Goodwin B(atterson) Beach, quod nomen ipse examussim in latinum converti: Bonamicus Bartholomaeus Actensis.

D. O. M. omnia tua incepta secundet et cura ut valeas.

A. d. VII Kal. Junias, a. MCMLXI.

P. Caelestis Eichenseer O. S. B. Josepho Mariae Mir, Domino Doctissimo et Reverentissimo, S. P. D.

Reddita est mihi epistula Tua benignissime a. d. X Kal. Majas data jam a. d. Nonas Majas, quibus diebus Monaci commoratus sum... Jam medio mense Aprili Monaci morato primus hujus anni fasciculus PALAESTRAE LATINAE mihi inopinanti allatus est, de cujus commentariis nuntiisque non mediocriter gavisus sum. Ibi praeter duos libros, quos recensendos susceperam, etiam id inveni quod Cardinalis Bacci, Dominus ille Excellentissimus, de nomine Brasiliapoleos scripsit. Summopere autem miratus sum, quod ibi meam quoque sententiam repperi Tuis verbis subjunctam. Summo etiam studio ea perquisivi, quae de villa hodierna magnificentissime condidisti. De ea autem re,

quam dicis maenianum, cf. PAL. LAT. n. 173: 31 (1961) 20, concedas mihi, quaeso, ut adnotem, quid in Ludovici Antoni Muratori(i) opere reppererim, quod inscribitur «Antiquitates Italicae» (tom. I, Mediolani 1738, p. 1144), ubi ille rerum antiquarum peritissimus ait:

«Mihī BALCONE significat Maenianum». Ergo idem iudicat atque Tu. Id autem quod Avenarius (PAL. LAT. 31 (1961) 34) dicit *Gegenklage*, in lexico a Menge et Gūthling edito (in parte II: *Deutsch Lat.*, Berlin-Schöneberg 1951, p. 246) hunc in modum latine redditur: mutua accusatio *vel* actio; in causa privata: petitio (mutua); unde dicitur: crimen invicem intentare alicui (in causa capitali); invicem petere aliquem (in causa privata). *Plattenspieler* est idem quod *Schallplattenapparat*, quod instrumentum latine grammophōnum dicitur, ut recte indicasti, et *Tonbandgerāt* est magnetophōnum. Id autem quod est *Lichtanlage* (*instalación de luz eléctrica*), hoc dicere malo «(electricam) instructuram lucificam *seu* (electricum) instructum luciferum» (cf. FORCELLINI, *Lexicon totius latinitatis*, tom. II, Patavii 1940, p. 879: «instructura, instructus»; tom. III, Patavii 1940, p. 116: «lucifer, lucificus»; (utinam Monaci essem, ubi schedas Thesauri linguae Latinae perspicere possem, ex quibus facile cognoscerem, utrum haec vocabula rei significandae idonea essent an alia his praeferenda).. Die 15 m. maji.

P. Caelestis Eichenseer O. S. B. Josepho Mariae Mir, Domino Reuerentissimo atque Humanissimo, S. P. D.

Reddita est mihi hodie epistula jucundissima, quam Johannes Carolus Pulchrimontanus (*Schönberger*) ad me dedit. Ibi scripsit haec, quae sequuntur: Iohannes Carolus Pulchrimontanus P. Caelestis, S. P. D.

Maximas Tibi ago gratias pro lucubratione Tua ad me missa (quae est de adventu legati pontificii: PAL. LAT. n. 174: 31 (1961) 65-76). In qua cum felicissime nova («moderna») vocabula undique expiscatus sis, bene meritus es de sermone latino hodierno usui adaptando. Sed frustra erunt Tui aliorumque conatus, nisi vestra inventa aliquando in unum librum collecta erunt singulaeque nationes eruditae ejusmodi lexica conficient. Hoc tempus ego quidem et fortasse ne tu quidem videbimus.

Ceterum, ut jam saepe, eruditionem tuam industriamque admiror, qua tot auctores («fontes» falso nominantur) perscrutatus es.

At unde tam multa menda typographica? Non multum abest, quin suspiciam Te parum perspicue scripsisse.

Ego neque corpore neque animo satis validus litteris perquirendis studere destiti. Tibi vero ut multo minori natu opto, ut bona valetudine utaris et artibus ingenuis strenue operam des.

Vale et mihi favere perge!

Dabam Dilinga, 29. VII. 1961.

His verbis lectis facere non potui, quin Tibi, mi Domine, statim renuntiarem, quid magister quondam meus nunc grandaevus de illo commentariolo meo judicasset. Tamen intellego, quid mihi significare volueris, qui die 23 mensis junii cum alia tum haec mihi respondisti:

«Propediem narrationem tuam de Legato Pontificio in PALAESTRA inscriptam leges; placet, sed nimia est in rebus et in verbis explicandis immoratio; nimium loci commemorati abundant. Quae in LATINITATE scripsisti magis arrident».

Sed meo arbitrio commentarium in PALAESTRA vulgatum et alterum in LATINITATE editum eo maximopere inter se differunt, quod altero res gestae aetatis antiquae tractantur, altero res recentissimae nostrorum dierum. Ut autem demonstrarem, unde vocabula mea ad nostrae aetatis res designandas deprompsissem eis in exemplum, qui similia conscripturi essent, eos locos omnes in publicum proponendos putavi, quos scivi alibi nondum cunctos collectos esse vel aditu difficillimos. Itaque qui illa verba attente perlegerit, perspiciet, quem usum vocabula velut «motorius» et «campana» aliaque hujus generis apud antiquos habuerint, quando usurpata sint, denique num apta sint ad res quasdam artis technicae modernae nominandas. Haec ergo res aliquanto difficilior ut ab omnibus inspici posset, ii loci descripti sunt, qui in causa fuerunt, cur quaesita nomina singulis rebus explicandis imposita essent. Quibus argumentis ipsis legentibus ostendere volui, quanta consideratione diligentiaeve illud corpus maxime varium auctorum antiquorum perquirendum esset, nec praepropere nomina novanda. Accedit, ut melius vocabula ab antiquis jam ficta, quamvis seris demum saeculis usurpata, adhibeantur, quibus res *proprie* designantur, quam alia conjuncta ab scriptoribus aureae aetatis, quae dicitur, repetantur, quibus minus dilucide res instrumentave significanda denominentur. Qua in demonstratione liceat exemplo «campanae» uti. Plerique enim non ignorant, quid sit campana. Tamen non paucos fugit, quid sit aes sacrum, quamquam unusquisque utrumque nomen novit, aes scilicet et sacrum, quod quidem certe etiam campana potest esse; sed est nomen nimis generale, quo non necessario alia instrumenta aerea (sive ahenea) sacra excluduntur. Sed his quoque in rebus ipsum genus dicendi semper respiciendum erit, id quod non raro parum observatur.

Incolumem Te servet Dominus totius salutis auctor!

P. CAELESTIS, O. S. B.

Dabam ex archiabbatia Ottiliensi, die 2.^o m. Augusti anno MCMLXI.

Josephus Ijsewijn Josepho M. Mir Patri ornatissimo, S. P. D.

Pauci quidem viri supersunt litterati, amice optime, quibus latinam verborum copiam ditare aut emendare cordi est. Quos inter viros quoniam

haud exiguum obtines locum, qui scriptis et litterarum commercio id semper studeas ut latinitas velocissimum cultus humani cursum aequo gradu sequatur, et tres, quas proponere velimus, notulas lexicographicas tibi placituras esse pro certo habemus.

Proximo anno in ultimo PALAESTRAE LATINAE libello (p. 219), hoc autem anno in villae descriptione (p. 19) optime de «tintinnabulo» locutus es. Fortasse non abs re erit monere alterum etiam praeter sesquipedale illud «tintinnabulum» esse vocabulum latinum, NOLAM dicimus, aptum ad eandem rem describendam. Quae vox etsi non est aureae latinitatis, non omnino tamen reiiciendam putamus. Occurrit apud Avianum, fabulatorem saeculi V satis tersum, qui de cane fero hos habet versiculos:

«Hunc dominus, ne quem probitas simulata lateret,
Jusserat in rabido gutture ferre NOLAM.
Faucibus innexis crepitantia subligat aera,
Quae facili motu signa cavenda darent» (VII, vv. 7-10).

Item apud Desiderium Erasmus hunc locum invenimus:

«Subinde dictitans... fatuorum esse vitam... ad NOLAE signum dormire, expergisci, redormiscere...» (EPIST. 1211, ALLEN).

Dein de «Nivicandidae» nomine pauca in medium proferre velimus et iudicium tuum invocare. Hujus enim puellae historiolum dulcissimum optimi aliquot adolescentuli Barbastrenses nuper latine verterunt. Puellam latine «Nivicandidam» appellaverunt, nomen vernaculum quam proxime imitantes: *Snow-white*, *Schneewittchen*, *Sneeuwitje*, *Blanche-Neige*, cet. Eandem rationem secutus paucis annis ante Herbertus Abel virginem «Nivem Candidam» appellaverat (*Class. Journal*, 51 (1955) pp. 67-68). Attamen, ut vera fateamur, nec «Nivicandidam» nec «Nivem Candidam» nobis placuerunt. Latinius (ut cum Frontone loquamur) puellae propter cutis candorem «Niveolam» nomen dare possumus, nomine adjectivo hypocoristico — nam delicatius loquamur oportet — e voce NIVEUS secundum normas linguae latinae expresso: in comparisonem adduci possunt: laureus/laureolus; igneus/igneolus; luteus/luteolus, etc.

Tertium ad peritiam tuam appellare decrevimus ut iudicares de nomine latino quod libellis illis indere volumus, quos anglice *Pocket book*, gallice *livre de poche* vocant. Sunt enim libelli apti qui in sinum condantur itaque a lectoribus facile secum portentur. Talem igitur «libellum sinualem» appellare velimus, si quidem «sinualis» vox nova procudi liceat. Quam vocem a «sinu» deduci posse opinamur perinde ac «manualis» ab antiquis ficta est e «manu», qua aliquid significarent, cujus manus capax esset. Itaque Plinius (*Nat. His.* XIX, 16) «manualem fasciculum», Tacitus (*Ann.* IV, 51) «manuale saxum» posuit. At peritior tu iudices. Vale!

Dedi Antverpia, a. d. II Id. Majas a. MCMLXI.

Jos. M.^a Mir, C. M. F., Josepho Ijsewijn, viro humanissimo, salutem pl.

Est in scriptoria mensa epistula a te data mense majo de verbis in latinum convertendis aut recipiendis, et doleo primum quod adeo in rescribendo fuerim in mora, quamquam est in primoribus labris probabilis rei excusatio.

De voce *nola* sunt qui tecum consentiant; est enim vox a non nullis adhibita —aliis tamen haud paucis, qui exquisitius loqui contendunt, improbantibus—. Ipsum Joannem Fridericum Noltenium (*Lexicon latinae linguae antibarbarum*, Venetiis MDCCXLIII, p. 195), qui linguae puritatem tantopere consecratur, audias: «CAMPANARUM usus antiquus; novum nomen. Paulinus, episcopus Nolae in Campania, quoniam primus in ecclesia sua *tintinnabula* (*Juven.* VI, 440) sive *nolas* (*Quint.* VIII. 6) in pios usus transtulit; factum est, ut majora dicerentur a regione *campanae*, minora vero *nolae* a civitate...» (cfr. de voce FORCELLINIUM et BACCIUM, *Lexicon*).

Quae tu de voce «*niveola*» disseris minime improbanda videntur, quamquam illa adjectiva deminutiva hypocoristica pauca quidem sunt, ac praeterea *niveola* totum vocis hispanae sensum non exprimit; nam difficile est hac voce, quae «parvula nix» sonat, cuncta quae in *Nivicandida* continentur significari: «candida, alba sicut nix».

Habes igitur: *Niveola* —vox simplex derivata—: «parvula nix».

Nivicandida —vox composita (*nix - candida*)— «candida ut nix»; quorum sensus non idem prorsus valet: et ideo puellam quae a Virgine Maria ad Nives vocetur, *Niveolam* vocandam censerem (*Nieves*, *Nievitas* = parvula Nix; *mi querida Nieves*: «Niveola mea»). Sed *Blancanieves* non nihil «Niveolae» tuae insuper addit, est enim «candida ut nix, candida nive, alba ex nive: *nivi-candida*. Hanc igitur non inmutandam censeo; hac enim voce res ipsa et notio probe designatur, ratio componendi verba latina servatur, neque est ejusdem vocis repetitio, sed res diversas «candida ut nix, candida propter nivem» significat; haecque in compositis attributivis (= «est candida sicut nix») adnumeranda videtur, ut *meri-dies*: «dies medius».

Libellus tuus *sinualis* si nihil aliud hoc verbo exprimere intendis quam *livre de poche* — non vero quae nos dicimus *agenda* aut *block* vel quid simile— probanda est vox et in latinum inducenda, ex sinu: *sinualis*, attamen alii fortasse dicent: «libellus qui in sinu condi potest, libellus in sinu gestabilis, libellus manualis, libellus forma minore» (cfr. C. MARIANO, *Nuovo dizionario italiano-latino*, s. v.).

Haec sunt quae de verbis propositis tibi rescribendum putavi. Superna vos cumulet Dominus sua gratia et pace. Valeatis.

In sede PALAESTRAE LATINAE, Barbastri, die primo, mense septembri, a. 1961.

Reverende Pater Moderator PALAESTRAE LATINAE:

Vidi vestrum responsum in pagina 170 PALAESTRAE LATINAE superioris mensis Septembris, de qua re nihil a vobis dissentio.

Ceterum, si Cicero vel Caesar viverent, aut iterum viverent, opinor, voce «radar - ōris n. vel radar - ōris m.» contenti essent ad exemplum «calcar - ōris n. vel Arar - ōris m.» (flumen Sequōna). Hi aliive latini scriptores facile dicerent etiam «radarium n., radaria f.».

Unum timeo, ne romanum sermonem barbaricis nimium vocabulis farciamus. Aliqua tamen mihi videntur accipienda. «Gasium» igitur damnare non ausim. Alii malint voces «spiritus vel aërium» adhibere ducti hac ratione, quod gas apud Flandros idem valet ac «spiritus» sensu latino veteri, et aërium imitatur graecanicum ἀέριον, quod hodierni Graeci pro «gasium» usurpant.

In lingua latina autem nostra memoria vitium quod inoliturum fere immedicabiliter minatur pro viribus ac prudenter castigandum esse opinor.

Romani, et maxime Caesar, Quiritum auribus dure horrideque barbarorum sonantia nomina ad domesticum ingenium mollierunt. Unde «Helvetia, Sequana, Rhodanus, Divitiacus, Ariovistus» legimus, quae certo dissimillime in oribus indigenarum sonabant. Ideo spero non defore Cordimarianos, quos satis multos in Australi America numeramus, qui geographica vocabularia condant quae paulatim vias sibi aperiant usque ad Summas Ecclesiae Curias.

Tunc quid prohibebit dicere «Rheopolis» pro *Corrientes*, «Vallis Subia» (secundum etymologiam) pro *Gualeguaychú*, «Argyropolis» pro *La Plata*, «Uruquaria», «Cervinum» (*Venado Tuerto*), cet.

Ad usus domesticos in Argentina aliquid tale jam fecerunt Patres e Societate Jesu.

Deus vos fortunet, item incepta vestra.

Victoria, tertio Cal. Martias.

P. BERNARDINUS FONTANINI, O. S. B.

Josephus M.^a Mtr CMF. P. Rev. Bernardino Fontanini OSB. salutem.

Oro te, colende mihi Pater, ut veniam tribuas qui tandem tuis quaesitis propositisque verbis responsum do.

Studium, quod in excolenda lingua latina collocasti, laudandum quidem est et sedula cura quam in novis cudendis vocabulis exquiris. Tua vero epistula quaestiones attigisti quae summa animi consideratione sunt expendendae, eas ego quasi in praecepta contrahere conatus sum et cum sociis PALAESTRAE LATINAE communicare optimum duxi.

1.^{um} «Ne nimium novis barbarisque vocabulis Romanorum sermonem farciamus»: hoc sane propositum omnibus pro viribus curandum est, hoc multi viri docti suadent, hortantur et assequi contendunt; cum vero rem

ipsam tractant et verba interpretari volunt, animo haerent. Quae enim vocabula e nostris linguis excipi possunt, quae ex ipsa quam significant notionem in latinum transferri oportet, quae vero explicatione quadam et circuitu verborum indigent? Hae sunt quaestiones quae multas secum afferunt difficultates, in iisque exsolvendis consideranda sunt scriptoris auctoritas ejusque in adhibendo sermone latino sollertia, locus unde ortum habet seu natio, alia.

2.^{um} «Ex nostris linguis nonnulla vocabula in latinum recipi possunt»: innumera enim exstant nostra aetate nova rerum inventa quae propriis nominibus latine sunt designanda — quae e fonte graeco deduci nequeunt aut non expedit, neque tamen lingua latina aptam vocem vel translationem suppeditat, ceteroqui rem nuper inventam latino sermone exprimere debemus — tunc vocem apud omnes fere gentes usurpatam excipere cogimur; hujusmodi sunt: *radar* - *radarium*, *gasum* - *gasium*, *dollare* - *is*, *peseta*, *marca*, similia haud pauca.

3.^{um} «Quae tamen verba, cum in latinum inducantur, emolliri quodam modo debent et ad ipsam linguae indolem aptari et flecti»: qua motus ratione *radarium* aptius vocabulum usuque recipiendum censeo, cum haec sit communior finiendi et flectendi verba norma; *radar* tamen non est rejiciendum.

4.^{um} «Vocabula aptissime novantur et eruuntur ex ipsa lingua latina cum rei notionem verbis latinis reddimus», quod saepissime fecit Cicero cum philosophiae notiones non quidem Graecorum verbis usus sed translatione quadam in latinum convertit; quod alii quoque fecerunt veteres scriptores et nostra aetate clmus. vir C. Egger in Tirolis civitatibus et moribus describendis, aliique praestantissimi in latinitate viri, quod et tu ipse in novis Americae civitatibus latine reddendis perficiendum curasti exemplisque confirmasti¹.

Ceterum, his propositis praeceptis de formandis verbis latinis, quasdam adjungam adnotationes ad illa verba a te proposita: Vocem *radar* - *radarium* — cum de certo ac definito agatur instrumento et compendiariis seu initialibus litteris hodierno more exprimatur et flexione latina donetur —, in latinum sermonem invehiri posse certo credimus².

De voce vero *gaso-gasto* alias in PALAESTRA LATINA (27 (1957) 30. 33. 87) egimus. Neque vero infitiar in usum venire potuisse *spiritum* novo addito

1. Quae praecepta de verbis fingendis novandisque saepe in his commentariis attigimus et summa pertractat prudentia P. Ac. SPRINGHETTI, *Institutiones stili latini*, p. 20 sqq.

2. Quod nomen clmus. vir C. Egger respuit (cfr. *Premier Congrès international pour le latin vivant*, p. 135); illud tamen G. Pacitti in eodem conventu Avennico recipiendum putaverat.

sensu vel *aërium* ex hodierna Graecorum lingua; sed scis —idque monet Horatius— multa excidisse vetera verba et nova perpetuo renasci. Ceterum, vulgare illud ac tritum vocabulum *gas* a batavo chimico Helmont († 1644) inventum est, quod etiam *spiritum silvestrem* appellabat³.

Illum tandem civitatum Americae indicem quo multa geographica nomina continentur in latinum translata, ut edamus, mittendum cura.

Studium linguae latinae summo, ut facitis, conatu apud vos amplificante. —Et plurimum in Domino valete.

Barbastro, IV kal. novembres, anno MCMLXI.

Josephus M.^a Mir, C. M. F., clarissimis viris qui in Commentariis qui ORPHEUS inscribuntur linguam latinam strenue tuentur salutem plurimam dicit.

Oro vos, clarissimi viri, ut mihi detis veniam qui sero ad vos accedo.

Legeram raptim quod ad nos misistis folium in quo dilucide de linguae latinae studio apud omnes gentes excitando, confirmando, defendendo agitis.

Nunc, cum in manus iterum incidisset folium, aegre tuli quod —minimis negotiis intentus— antea ad vos non rescripsissem. Idque sane faciendum: nam non tantum de percipienda agitur illa veterum classicorum doctrina, humanitate, cultu, quibus tota nostrae constat constitutio et forma societatis, sed etiam quia in maximo versamur negotio, id est in recta probataque puerorum institutione consecranda, quae sine humanioribus litteris —et in primis lingua latina praecisa et abjecta—, nequaquam obtineri potest.

Lingua igitur latina —ut vos, humanissimi viri, totis viribus contenditis— illum saltem locum et gradum in conformandis puerorum animis teneat oportet quem aliae linguae et disciplinae in erudienda juventute secum ferunt.

Vos quoque laudo inceptisque vestris omnia fausta ominor quibus novum Scriptorum Latinorum Corpus condere constituistis et praeclaro viro Julio Marouzeau, qui tot annos assiduam operam non fractis viribus in classicis studiis excolendis, et praesertim in lingua latina ubique promovenda collocavit, volumen dicare decrevistis.

Hanc nactus occasionem omnes vos qui novum hunc defendendae linguae latinae inceptum et conatum principes exstitistis summa reverentia et admiratione salvere jubeo et in propositum assequendum ignes adjicere audeo.

Quod quidem una mecum omnes qui in PALAESTRA LATINA evulganda operam dant libentibus animis subscribunt. — Valete.

A. d. V kalendas decembres, anno MCMLXI, Barbastro in Hispania.

JOS. M.^a MIR — M. MOLINA — J. ARAMENDÍA, C. M. F.

3. Cfr. J. COROMINAS, *Diccionario crítico etimológico de la lengua castellana*, s. v.

BIBLIOGRAPHIA

MERLAUD, ANDRÉ. — *Pastoral de la Infancia*. Ediciones Sígueme, Salamanca, 1959. Pág. 230, 12 x 19 cm.

Quartum volumen in corpore «Hinení», quod in primigenia lingua inscribitur «Jalons pour une pastorale de l'Enfance», in linguam vero hispanam conversum a claro viro Joachim Gomis. Omnes fere puerorum educationis loci ibi agili calamo perstringuntur. Ea scilicet ratione: I. Puer et sua hominis vocatio (pp. 25-42). II. Puer et societas suae aetatis (pp. 43-56). III. Puer et «supernaturale» (pp. 59-70). IV. Puer et sacerdos (pp. 71-82). V. Puer et catechismus (pp. 83-96). VI. Puer et «S. Biblia» (pp. 97-110). Puer, Missa et Sacramenta (pp. 111-124). VIII. Puer et ludus (pp. 125-144). IX. Puer et lectio (pp. 145-162). X. Puer et cultus (pp. 163-174). XI. Puer et «sectiones» (pp. 165-190). Puer et Actio Catholica (pp. 191-212).

Praeit huic libro probe cogitatus interpretis prologus (pp. 9-12), una cum erudita auctoris introductione (pp. 13-24). Liber ampla de re conclusione absolvitur (pp. 213-220). Neque praetereunda est appendix (pp. 221-230), cui titulus: «*Hacia una pedagogía religiosa de los niños deficientes*». Summa appendicis hujus deprompta est a doctrina clari Professoris in Instituto Catholico Parisiensi, Rdi. Dni. Bissonnier.

A. MARQUÉS, C. M. F.

CICERONE. — *Il pensiero filosofico*. Letture scelte a cura di G. AMMENDOLA e V. D'AGOSTINO. Editore Luigi Loffredo, Napoli, 1958, pag. 270.

Postquam cl. vir Josephus Ammendola mortuus est, qui opus iterum edendum curaverat, Victorius D'Agostino —vertente anno bis milesimo Cicerone mortuo—, aggressus est totum libri argumentum retractare et amplificare ita

ut hanc tertiam editionem —novam diceres— litterarum latinarum cultoribus praeberet perfectam «migliorando molti particolari e redendo il volume più conforme alle nuove esigenze dell'indagine filologica da un lato, dell'insegnamento dall'altro».

Haec est virtus et praecipua hujus libri laus quod Ciceronis operum fragmenta quae ad rem philosophicam pertinent non incondita atque incomposita, sed omnia ita ordinata et digesta ab auctore Victorio D'Agostino legentibus exhibeantur ut unum quasi corpus philosophicum constitui videantur.

Unicuique libri capiti, ut penitus sensus capiatur, summa seu brevis descriptio argumenti, finis, temporis atque modi dicendi Ciceronis praemittitur.

Opus plurimis captuque facilibus —quippe quae ad scholas destinantur— ditatur notulis, immo crebro loci e fontibus repetuntur, atque cum aliis Ciceronis locis conferuntur rationeque critica disputantur.

Quibus omnibus librum hunc magno opere latinarum litterarum amicis commendamus.

J. ARAMENDÍA, C. M. F.

MORIER, HENRI. — *La psychologie des styles*. Pag. 376, 14'5 x 23. Librairie de l'Université Georg, Genève (Suisse).

Maximi quidem momenti ornamentique volumen hoc quod totum est de stilorum psychologia. Praeclarus vir H. Morier, Historiae linguae gallicae, Poëtices et Dissertationis gallicae in Universitate Genevensi Professor, cum ingenii tum litterarii usus thesaurum in eo exarando fausto omine cumulavit.

Tota vero arte et accuratione typographica opus studioso exhibetur. In duos libros dividitur: I. *Théorie* (pp. 5-115). II. *De l'inspiration au texte* (pp. 117-362).

Tria capita in primo libro sunt: *une stylistique de la personne; hierarchie de l'être interieur; des manifestations du caractère aux esthétiques du temperament*. Altero autem octo sunt capita, ea sane inscriptione: *Les caractères faibles... délicats... équilibrés... forts... hybrides... subtils... défectueux*.

Atque septuaginta admodum ibi «stili» explicantur, iique stilo sane ingenioso ac lepido. Libri bibliographia, et selecta et ampla, lectoribus magno opere de re adminicula colligit haud parvi, si quid mei est iudicii, facienda.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

GRIMAL, PIERRE. — *Horace. Écrivains de Toujours*, 1958, pag. 191.

Hoc corpus «*Ecrivains de Toujours*» inscriptum, in quo tanta et optima et eximia opera in lucem edita sunt hoc novo cl. v. Petri Grimal libro augescit, qui —ut saepe Horatii memoriam repetamus— hoc litterarium monumentum extruxit perenne poëtae illi «le plus souvent cité et, peut-être, le mieux aimé par de longues générations d'humanistes» (p. 6).

Opus quod in promptu habes in duas partes distribuitur: quarum in prima —de Horatii vita, modo dicendi eleganti, liquido, jucundo, de patria Apulia disputat auctor, quam in Epodis deinceps commemorabit: «la silhouette de ces paysannes apuliennes...; paysage de pâturages montagnards..., brûlés en été par le soleil» (p. 10), de moribus et condicionibus politicis, de ludorum ejus magistris, praesertim vero de Orbilio Pupillo, cui Horatius debet «une formation dont il gardera l'empreinte toute sa vie: un sens moral très exigeant...» (p. 12); atque de itinere quod confecit Athenas «grande ville universitaire on ressonaient encore les voix du passé» (p. 17).

Nobis deinde cl. vir Petrus Grimal mira arte Horatium praebet Maecenatis et Epicurei amicum (p. 29-45), eximium poëtam (p. 69-83), poëtarum lyricorum principem, spiritu poëtico atque lumine instinctum.

Altero operis pars (p. 87-190) collectanea sunt fragmentorum, id est Satirarum, Carminum, Epistularum, Artis Poëticae, quibus singulis praemittitur prooemium ubi de tempore, condicionibus, fine, cet. uniuscujusque fragmenti breviter agitur.

Conversio carminum in sermonem gallicum —perpolita, nitida, poëtica, concinna—; scriptor enim non tam in ipsis poëtae verbis referendis enititur, quam in re clare exprimenda.

Variae, bellissimaeque tabulae pictae ad antiquitatem classicam spectantes libro continentur quibus vivide Horatii loca et fragmenta commemorantur.

Grates ergo ex imo cl. Petro Grimal persolvamus maximas de libro suo optimo, quo redivivus, hodiernus vereque novus poëta Horatius nobis factus est.

J. ARAMENDÍA, C. M. F.

Certamen Capitolinum X, MDCCCCLVIII. — Curante Instituto Romanis Studiis provehendis, p. 79.

Instituti Romani studiis provehendis auspiciis, Romae in aedibus Capitolinis decimum de Lupa Capitolina certamen celebratum est cui sex et triginta petitores ex Europa et America adierunt.

Quorum cum nullum quinquevirorum collegium dignum haberent quem praemio Urbis, praemio maximo, decorarent, secundos ex aequo victores iudices declararunt. Hi sunt: Albertus Albertani (*Syracusae captae*), Aldus Bartalucci (*Sermocinatio matutina*) et Joachim Petrolli (*Qua ratione quibusque artificiis quaedam mihi nota animalia hominesque sibi victum apparent*).

Hoc ergo fasciculo hae tres commentationes continentur quas maximo quidem oblectamento legi.

Cl. Albertus Albertani concinno sermone «urbem illam tam validam, tot virorum fulgore praestantem» describit quae «ad postremum lacrimabili exitio» periit.

Lectissimus et litteratissimus vir Aldus Bartalucci lepidam maxime fingit sermocinationem inter Marcellum et Lucium. Cl. tandem Joachim Petrolli elucubrationem summis cumulandam lau-

dibus offert id est de animalibus quibusdam quibus «fundit humo facilem victum justissima tellus».

CICERONE. — *De natura deorum* a cura di N. MARINONE I classici della Nuova Italia, Firenze, 1960; pag. V-XXX y 3-211.

Domus editrix «La Nuova Italia» quae per totam Italiam optimarum artium studia maxime provehit, nos novo multisque virtutibus cumulado donat libro qui, ut superiores ab eadem domo evulgati, signo vere praesenti atque hodierno procuduntur, non tantum in iis quae ad interpretationem sive philologicam, sive aestheticam referuntur, sed etiam in ratione seu via quam conscriptores in auctoribus exponendis sequuntur, Quare hujus domus opera inter praeclearissima atque meritissima ab studiosis putantur.

Libellus hic bipartito distribuitur: in 1.^a parte (p. 3-106) antiqua, praecipue vero epicurea theologia exponitur, enodatur atque confutatur. In altera operis parte (p. 109-202) res tota de theologia stoica et tractatur et subtiliter evolvitur itemque ut falsa rejicitur.

Praefatio seu introductio praemittitur (p. V-XXX) maximi habenda quae multa continet de rerum adjunctis atque temporum condicionibus —id est de victoria Caesaris de Pompejo—, in quibus opus Ciceronianum exaratum est, deque earum in Ciceronis animum efficitia.

Hoc *De natura deorum* argumentum per dialogum —more vero Aristotelico— traditur. Liber textum accuratissimum nobis offert notulisque multis et commentariis sive philosophicis sive grammaticis ornatissimum quae ad librum intellegendum magnopere prosunt. Opus hoc indice (p. 205-211) nominum propriorum, vocabulorum graecorum absolvitur.

DUCHET-SUCHAUX. — *Histoire Romaine*, Hachette, 1951; pag. 63. — *Histoire Grecque*, Hachette, 1952; pag. 63.

En accipe, lector, duos optimos scienterque quidem mente conceptos libellos quos, eadem charta et typis excussos,

eadem divisione dispositos (sex habent fasciculi capita), eodemque pagellarum et tabularum pictarum numero (67 unusquisque liber tabulis constat), officina libraria «Hachette» historiae classicae studiosis offert.

Argumento rebusque narratis forsitan —mea sententia— complexio generalis seu gestorum et annorum index, quibus res evenerint, desideretur.

Tabulae et imagines quibus libelli coluistrantur ita diligenter sunt electae ut, eis inspectis historia per se patens, dilucida, perspicua, vivida fiat. Quare corporis hujus lemma «Encyclopedie par l'image» merito inscribitur.

Libelli clauduntur brevi indice bibliographico.

Si ergo vis, lector humanissime, uno oculorum conspectu gesta tam latina quam graeca complecti, hos duos fasciculos adi magnamque ex eis voluptatem percipies.

J. ARAMENDÍA, C. M. F.

BAYO, MARCIAL JOSÉ. — *Virgilio y la Pastoral española del Renacimiento*. (1480-1550). Biblioteca Románica Hispánica. Editorial Gredos, Madrid. 284 p. 14 x 20 cm.

In nobili illa quae inscribitur «Biblioteca Románica Hispánica» volumen quartum et quadragesimum hoc, praecleari Doctoris Martialis J. Bayo. Fructus nempe, isque conditus, elucubrationis ad lauream obtinendam, in Facultate Philosophiae et litterarum Universitatis Matritensis. Quae quidem maximo eam praemio, sententiis omnibus, cumulavit.

Juvat hic —quem lectores noscant ipsum operis indicem perscribere, I. *Primera imitación de las Bucólicas* (pp. 17-22). *Virgilio y Juan del Enzina* (pp. 23-63). *La tradición clásica y Cristóbal del Castillejo* (pp. 64-61).

IV. *La poesía bucólica de Garcilaso y su relación con las demás églogas de Virgilio* (pp. 73-82). V. *Egloga I de Garcilaso* (pp. 83-103). VI. *Egloga II de Garcilaso* (pp. 104-129). VII. *Egloga III de Garcilaso* (pp. 130-159). *Gutierrez de Cetina y sus poemas pastoriles* (pp. 160-188). IX. *Don Diego Hurtado*

de Mendoza y las «Eglogas» de Virgilio (pp. 169-186). X. *Hernando de Acuña* (pp. 187-195).

XI. *Traducción de las églogas de Virgilio por Fray Luis de León* (pp. 227-236).

XII. «*Menina e Moça de Bernardin Ribeiro*» (pp. 226-236). XIII. *Creación de la novena pastoril: «Siete Libros de Diana», de Jorge de Montemayor* (pp. 2237-238).

XIV. «*La Diana de Alonso Pérez*» (pp. 249-250). XV. «*Diana enamorada, de Gaspar Gil Polo*» (pp. 251-267).

Mire, in introductione et conclusionē, totum opus cardini imponit laureatus scriptor.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

C. RABIRIUS. — *Bellum Actiacum*, ed. J. Garutti. Bologna, Zanichelli, 1958. Pag. 106.

Haec editio specimen est et fructus haud dubitanter diuturni, strenui, assidui laboris. Clarissimus enim J. Garutti, vir in papyris investigandis plane peritissimus, ad opus hoc conficiendum, non tantum consuluit Herculaniensi volumina (817) quae supersunt, verum etiam imagines ratione et diligentia summa collegit.

Cl. auctor etiam adhibet —fragmenta tantum restant— «Apographon» quod Oxoniense dicitur et Neapolitanum cuius photographiae in editionem principem Nicolaus Ciamprotti rettulit.

Quae in praefatione copiose penitusque auctor explicat (XIII-XXXVIII), textus sequitur ab auctore nobis propositus, qui lectionibus superiorum editorum completur, gravibusque commentariis ornatur.

Cl. viri Garutti textus perfectior est habendus quam aliorum, quamvis praestantissimorum virorum. (*Riese, Anth. lat.* I, 1894; *G. Ferrara, Poëmatibus latini reliquiae...* 1908).

Opus hoc diligentia maxima confectum indice verborum et grammatico absolvitur.

Verba tandem meritissimis plena laudibus a Joanne Baptista Pighi scripta audiamus: «Ipse enim suis oculis semel atque iterum papyri reliquias inspexit,

vetustate conglutinata dissolvit, disjecta in ordinem, quantum fieri poterat, reduxit, rerum notitias collegit, obscurissimos locos saepe dilucidos, saepius illustriores fecit; omnibus denique boni grammatici muneribus functus, ab intellegendo non abstinuit, divinare fugit; quod fortasse difficilis operis pars fuit difficillima».

PLATON. — *Apologie de Socrate*, traduction de Jean Guillon Hatter, Paris. Pag. 63.

Hic pulcre editus libellus bellisque tabulis pictis Socratis et Graeciae collustratus, illas tres gallice redditas, eximias atque mirandas continet orationes quae Defensionem Socratis constituunt, quaeque ab ipso Socrate ante mortem magna virtute aequissimo vero animo, ad iudices habitae sunt.

In praefatione (p. 4-13) quaestio illa a cl. G. Chappon breviter attingitur: Sitne qui loquatur Plato Socratis ore, an ipsemet Socrates ante potendam iudicandam, suam de se sententiam exprimat atque apologiam dicat? Quaestio haec difficilis a multis proposita, nondum ab scriptoribus exsoluta est nec in posterum expediri posse videtur...

Conversio in gallicum sermonem, fluida, simplex, nos magnopere juvat.

Appendix, a *Critone* (11-16), Platonis opere, excerpta, quae complementum est Socratis defensionis, in postremo fasciculo addita est.

Textus notulis sive geographicis sive historicis variis illustratur.

J. ARAMENDÍA, C. M. F.

J. SVENNING. — *Anredeformen. Vergleichende Forschungen zur indirekten Anrede in der dritten Person un zum Nominativ fuer den Vokativ*. Uppsala, Almqvist et Wiksells Boktryckeri ab Wiesbaden. Otto Harrassowitz.

Alterum et quadragesimum volumen in nobili illa bibliotheca cui index est «Acta Societatis Litterarum Humaniorum Regiae Upsaliensis». Volumen magnum de re minima diceret: fere quingentae paginae, atque eae densiores, de formis seu rationibus ALLOQUII. Plurimae

tamen linguae de re a clarissimo auctore inter sese comparantur. Operis summa, post ipsam inscriptionem, sic cursim explicatur: Alloquii formae. Forma alloquii indirecta in tertia persona. Usus nominativi vocativi loco.

In partem generalem (pp. 1-196) et specialem (pp. 197-336) commode partitur opus. Duae autem sectiones in prima aptantur parte: I. Indirectum alloquium per propositionem cum verbo in tertia persona. II. Nominativus vocativi loco. In altera parte sectiones quatuor: I. Nominativus vocativi loco in lingua graeca. II. Nominativus vocativi loco in lingua latina. III. Casus speciales nominativi vocativi loco in linguis romanis, germanicis atque in nonnullis diversi originis. IV. Theoriae novae de alloquio cum nominativo.

Appendices sex consequuntur: I. De historia vocum «dominus» et «domina» in occidente (pp. 336-363). II. De plurali singularis loco in alloquio (pp. 373-394). III. Vocativus loco nominativi et aliorum casuum (pp. 394-412). IV. Pronomen possessivum «meum» in alloquio (pp. 412-426). V. Tertia persona secundae loco extra alloquium (pp. 420-424). VI. Propositiones in alloquio ellipticae (pp. 424-434).

Alia membra scitum hoc opus locupletant: epilogus, summarium, additamentum, locorum et rerum et vocabulorum index (pp. 434-466). Praefatio, argumentum, bibliographia (pp. V-XI.) rem maximo opere commendare lectori non possunt. Paucis, volumen maximo studio et eruditione atque bonis lateribus editum, quod humanorum literarum cultores procul dubio bono animo et aequo pendent nocturna et diurna manu versabunt.

A. MARQUÉS, C. M. F.

GALLO, CONRADUS. — *Imitamenta Latinitatis*. Palermo, G. Mori, 1958. Pag. 189.

Opus hoc quod legentibus libenter offerimus viginti themata latine exarata complectitur quae auctor ad usum candidatorum «per la proba del Latino dei concorsi», collegit atque multis locutionibus in extremo libro appositis instruxit.

Quae themata e clarissimis poetis Italis (Bocaccio, Tasso, Dante, Petrarca, Leopardi, Manzoni, cet.) desumuntur, vel e Graecis (Homero), et Latinis scriptoribus (Cicerone, Vergilio, Ovidio, Livio), aut ad gesta et facta antiqua eximia referuntur.

Loci summam digni sunt qui laudentur; primo quia nobis auctorem praebent in litteris latinis doctum et eruditum magnisque ornatum virtutibus; secundo vero quia alumnus rationem disquirendi discit ac perpendendi subtiliter et religiose scriptorum opera. Magnae quidem utilitati vocabulorum index erit candidatis, cum verbum praepositum diversae latinae versiones sequantur.

Pauca vero sunt menda quae libri laudi minime officiant:

In pagellis 140-141 sine discrimine usurpatum legimus *Vergilius* et *Virgilius*; itemque *genetivum* «*Penelopsis*» pro *Peneiopes* (pag. 117), et *proematum* pro *poematum* (pag. 75), aliaque verba quae praetermittimus.

Quibus castigatis, opus expletum erit atque perfectum.

J. ARAMENDIA, C. M. F.

ALGISI, LEONE. — *Juan XXIII*. Traducto del italiano por Guillermo Gutiérrez Andrés, S. J. Editorial «*Sal Terrae*», Santander, 1960. Pag. 269. 20 ilustraciones.

Domus Editrix «*Sal Terrae*» libenter lectoribus Hispanicis et Americanis librum offert hunc — hispanice redditum —, qui paucis mensibus postquam editus est in sex linguas europaeas conversus est quique ab omnibus scriptoribus maximis meritissimisque laudibus est cumulatus. Romanus Pontifex sese eximium praebet per ditissimam, uberimam atque in lucem nondum editam materiam, in tabulariis reconditam, quae nobis novos Joannis XXIII aspectus atque vitae condiciones vivide ostendunt.

Opus susceptum auctoritate atque Dioecesis Bergomi (patriae Joannis XXIII) auspiciis, perfectum est opera Status Vaticani, Dioecesis Venetiarum et Legationis Apostolicae Parisiorum Lutetiae et Constantinopolis; qui omnes auctori potestatem dederunt documentis at-

que scriptis maximi momenti utendi quibus praeclarius extolleret Romani Pontificis vitam et personam et opera eximia.

Opus doctrina et eruditione refertum novisque instructum documentis, magna animi permotione conscriptum est —quippe qui auctor comes sit atque in sacerdotio Joannis XXIII sodalis— atque Romanum Pontificem egregium, hodiernum atque jucundissimum nobis praebet.

J. ARAMENDÍA, C. M. F.

Studien zur Textgeschichte und Textkritik. Herausgegeben von Hellfried Dalhmann und Reinhold MERKELBACH. Westdeutscher Verlag, Koeln und Opladen, 1959.

Complura in hoc volumine scripta nova de historia et critica textuum pristinorum colliguntur. Ea autem a clarissimis viris, de philologia et linguistica bene meritis, exarata sunt scilicet: E. Fraenkel, B. Axelson, H. Dalhmann, A. Dihle, H. Fuchs, L. Koenen, J. Kroll, S. Mariotti, B. Marzullo, R. Merkelbach, F. Munari, S. Prete, C. F. Russo, W. Schmid, F. Solmsen, W. Theiler, P. H. Thomas, S. Timpanaro.

En tibi, cultissimè lector, eodem ordine quo auctores, libri hujus modi elucubrationes: *Zur Text der Voegel des Aristophanes* (pp. 9-30). *Eine Korruptel in der Ueberlieferung des Lukian* (pp. 31-36). *Bemerkungen zu Varros Menippea Tithonus*, περὶ γήρωος (pp. 37-46). *Eine Schauspielerinterpolation in des Sophokleischen Elektra* (pp. 47-56). *Verderbnisse im Petronext* (pp. 57-82). *Tereus in den Voegeln des Aristophanes* (pp. 83-88). *Die Mahnung an Memmius im ersten Prooemium des Lukrez* (pp. 89-122). *Adversaria Philologa* (pp. 123-132). *Annotazioni critiche a Craino* (pp. 133-154). *Kritische Beitrage* (pp. 155-184). *Zu Anthol. Lat. 102 R.2* (pp. 185-190). *Problems, hypotheses and theories on the history of the text of Ausonius* (pp. 191-230). «*Nuvolen*» non recitate e «*Nuvolen*» recitate (pp. 231-252). *Ein christlicher Heroidenbrief des Sechsten Jahrhunderts* (pp. 253-264). *Textprobleme im zehnten Buch del Plato-*

nischen NOMOI (pp. 265-278). *Liebesgesprach und Pastourelle* (pp. 279-284). *Die Ueberlieferung der Metzer Alexanderepitome* (pp. 285-296). *Tre Noterelle* (pp. 297-300).

Quod ipsa lector videat, pura puta de arte critica analecta. Res libri varia; auctores varii; idiomata varia. In unum autem aptius opus convertitur, cum autorum eruditione tum eorundem acumine ingenii. De varia textuum saeculorum cursu exscriptione nondum suprema dictum est norma. Philologis classicis forsitan plurima in dies tentamina laboresque restent, quibus solvendis ad unum omnes, qui alta sapere contendunt, invitantur.

PHILOPONUS, C. M. F.

BRUNOT, AMÉDÉE, S. C. J. — *El genio literario de San Pablo.* Taurus. Madrid, 1959. Hispanice est interpretatus: Enrique BOADA.

De Sancto Paulo Apostolo aliquid novi scribere haud facile videtur. Tamen opus integrum de ingenio et indole litteraria Apostoli bibliothecarum scriniis deerat omnino. Auctor librum huic rei enucleandae paravit et scripsit. De mente seu ingenio (p. 19-125), de voluntate (127-195), de animi sensibus, de imaginatione. S. Paulus scripsit ut fuit. Si eum noverimus, melius ejus scripta callebimus: melius anacolutha illa capiemus et ellipses et hyperbaton et imagines et vehementiam et ironiam...

Apostoli ingenio litterario cognito quam multa ab apostolo dicta illustrantur. Si exempli gratia animadvertas quemadmodum binis ideis inter se oppositis Paulus cogitata sua exprimere amet, videas magnas epistulas antithesi quadam universa, quae aliis minoribus evolvitur, contineri. Ut dicit auctor: «Pauli apostoli indoles litteraria vi logica vehementi, intuitione praedita et mystica experientia» continetur.

Interpretatio hispanica recta et elegans. Aliquando tamen gallicum sapit sermonem. In ea displicet quod ex. gr. «*Entretiens*» Epicteti, Platonis «*Fedran*» (p. 150), Riccioti *Saint Paul Apôtre* gallice afferuntur. Auctor praeterea ne unum quidem librum hispanicum affert,

cum prostent summi momenti, ut «*Teologia de San Pablo*», P. Bover, et alii. Haec tamen minoris sunt momenti iisque vitiis —si re vera sint— potius libri virtutes elucant quam obscurantur.

J. SIDERA, C. M. F.

PLAUTO. — *Curculio* (Il Gorgoglione). *Amphitruo* (Anfitrione), *Casina*, *Miles Gloriosus*. Testo latino con traduzione a fronte, a cura di Ettore Paratore. Sansoni, Firenze, 1958-1959.

Non ita pridem H. Paratore —mirandae sane industriae et operosus vir— theatri latini historiam vulgaverat a. 1957 (Storia del Teatro Latino. Casa Editrice Dr. Francesco Vallauri, Milano), cum quatuor has fabulas Plautinas latine et italice in lucem dedit quae singulae suo continentur parvo volumine. Quae id habent commune: introductionem longiorem, recte conceptam, validis argumentis firmatam, in qua quo anno scripta unaquaeque sit, de contaminatione vel non contaminatione de argumento, de momento ac vi fabulae in scriptores recentiores auctor disputat. Deinde fabula hinc latine hinc italice refertur, addito apparatu critico ab soluto, notulis praeterea post fabulam apositis quibus illustrentur quae Plautus scripsit.

Auctor, hujus rei peritissimus, plane suus est in disputando et in asserendo neque in cujusque jurat verba magistrj. Ita asserit contaminationem in *Milite*, negat in *Amphitruone*, vindicat Plauto prologum *Amphitruonis*, quae fabulam anno 201 probabilius datam et censet et docet.

In interpretando non verbum ad verbum reddit, sed rem et mentem latini scriptoris exprimit etsi opus sit libera quadam circuitione, qua libertate hic inde (raro tamen) liberius uti videtur. Strenue vocem «*thermopolium*» in *Curc.* 293 voce «*bar*» reddit nihil novi verbi conterritus sono.

Notulae brevissimae sunt, at exprimenda recte exprimunt. In eis non semel sensus obscaenus aliquarum vocum nimis notari mihi quidem videtur. Haec cum male oleant, melius in umbra relinquuntur.

In hac Plauti editione uterque perplacet et Plauti fabula et italica interpretatio.

SANJUAN, PILAR A. — *El ensayo Hispánico*. Estudio y antología. Editorial Gredos. Madrid, 1954.

Vel ipso libri indice res in eo actae denuntiantur. Doctrix, quae in Collegio Lynchburgensi (Virginia, U.S.A.) litteras hispanicas docet, anglos et americanos docere voluisse videtur quo modo ortum sit quoque modo enucleatum hoc genus litterarium «*essai*» gallice, anglice «*essay*» appellatum. Historiam evolvit et singulorum scriptorum specimen praebet degustandum. Hic legas fragmenta Guevara, Vives, Stae. Teresiae, Molinos, Gracián, Jovellanos, Larra, Azorín, Marías, Ortega, Unamuno aliorumque scriptorum. Si ampliorem notitiam singulorum habere volueris, Doctrix amplum librorum adeundorum indicem exhibet, quo liber utilior redditur. Libri introductio, cum americanis et anglis destinetur, anglice scripta est.

STENZLER, ADOLF FRIEDRICH. — *Elementarbuch der Sanskrit-Sprache*. Gramatik - Texte - Wörterbuch.

Fortgeführt von Richard Pischel, umgearbeitet von Karl F. Geldner. Vierzehnte Auflage durchgesehen und ergänzt von Samarendranath Biswas. Verlag Alfred Töpelmann, Berlin W 35, 1960.

En grammatica linguae sanscritae brevis, lucida, completa in qua praecipua elementa hujus linguae facile invenias in ejusque cognitionem facile ingredi possis via ampla atque expedita. Priore parte Auctor (seu auctores) nem grammaticam et praecepta tradunt, altera exemplis aptis praecepta praecipua illustrent, tertia exempla legenda e poematis indicis excerpta praebent. Ad appendicis modum quaedam de syntaxi, de re metrica. Denique parvum vocabulorum lexicon habes. Quanti hic liber apud Germanos fiat hoc declaratur quod 14um editus est.

J. SIDERA, C. M. F.

CHAMPDOR ALBERT. — *Délos, l'île d'Apollon*, Paris, Albert Guilloit 1960. Pag 94 et 103 tabulae pictae.

Cl. vir Albertus Champdor —ob labores tam de personis quam de Orientis locis insignis, moderatorque eximius corporis «*Les hauts lieux de l'histoire*»—, auctor est hujus pulcherrimi operis «*Délos, l'île d'Apollon*» inscripti, fructus praesertim excursus seu itineris ab auctore confecti, ad hanc insulam quae olim urbs mercatoria fuit et religiosa apud omnes Graecos celebratissima.

Mycono exeuntes, auctor —gratissimo excursu— nos ad parietinas ducit et ruderum templorum, domorum Deli adhuc fumantium et monumenta quae bellorum atene temporum opera prolapsa sunt.

Post hanc tam luctuosam Deli historiam, cl. v. Albertus Champdor nos ad Apollinis stupendam, mirabilem, celeberrimam aedem ductat cujus reliquiae sacrae exstant et venerandae.

Has paginas amoenissimas, 85 nitidissimae, charta optima expressae photographiae sequuntur quae jucundissimum hunc Deli Apollinis insulae librum reddunt.

J. ARAMENDIA, C. M. F.

AIGRISSE, GILBERTE. — *Psychanalyse de la Grèce Antique*. Collection d'Etudes antennes, pag. 256. 13x20 cm. Société d'Édition «Les Belles Lettres», 1960.

Fontes classici, quos ajunt ad tradendam nobis priscinae Graeciae notitiam hi sunt: archaeologia, epigraphia, anthropologia, religiones comparatae. Modo autem, intimae psychologiae adminiculis fulti, sapientes ultra progredi, in scientiae commodum atque amplificatiorem, valent.

Specimen quidem rei hoc in volumine habes; quod quidem ut ingenue confiteatur clarus scriptor, magno labore stetit; labor tamen improbus omnia vincit, quo et sapientium conatus ad exitum pervererunt. Quatuor in partes opus totum dispertitur: I. De architectura psyches. II. Apollo seu cogitatio ordinatrix (apertio extra versa —cogitatio—). III. Dionysius seu Graecia rei sacrae (compensatio introversa —sensus—). IV. Homo seu voluntas harmoniae (unitas).

satio introversa —sensus—). IV. Homo seu voluntas harmoniae (unitas).

Libri magni est momenti iis, qui et antiquorum Graecorum mentem et hodiernae psychologiae methodum callere exoptant. Bibliographica vero in libro notitia rem commodius lectori, quod pluris aestimandum, explicat.

PHILOPONUS, C. M. F.

PUBLIUS OVIDIUS NASO. — *Liebes-Gedichte*. Lateinisch und deutsch ed. Richard HARDER und Walter MARG. Letztenband, 176 Seiten, 11x18 cm. Tusculum-Buecheret, Ernst Heimeran, Muenchen.

Huic P. O. Nasonis volumini vulgata «Amorum libri III» est inscriptio.

Ovidiana poemata prorsus nota litterarum latinarum cultori. Hac vero in accurata editione «Tusculum-Buecherei», et latinus textus et germanica conversio (pp. 5-147). Locuples appendix de persona vatis ac poemate, de textu et ovidiana bibliographia (pp. 148-159). Multae insuper ad unumquemque librum, eaeque eruditae commodaeque, notae (pp. 160-176).

Acutum ipsius latini poetae epigramma, in alteram operis editionem, initio libri praeest: Qui modo Nasonis fueramus quinque libelli, / Tres sumus; hoc illi praetulit auctor opus; / Ut jam nulla tibi nos sit legisse voluptas, / At levior demptis poena duobus erit.

Qui tamen libelli si haud parum ad litteras latinas cognoscendas conferunt, nihil tamen ad morum disciplinam, quod lectores probe norunt, proficiunt.

A. MARQUÉS, C. M. F.

APULEIUS. — *Der goldene Esel Metamorphosen*. Herausgegeben und uebersetzt von Edward BRANDT. Zum Druck besorgt von Wilhelm Ehlers. Tusculum-Ausgabe, 608 Seiten 11x18 cm. Ernst Heimeran Verlag, Muenchen.

L. Apulejus, Madaurae in Africa natus, nobilis quidem familiae filius, imperatoribus Antonino Pio Marco Aurelio, ingenii laude floruit. Una orator, jurisconsultus, philosophus platonius. Alia autem inter scripta, notissimam

illam metamorphosim c. t. Asinus aureus», acuminis plenum volumen atque ludificationis irrequietaeque actionis, conscripsit.

Latinus textus una cum germanica conversione studioso latinitatis offertur; a pagina 5 ad usque 502. In scita appendice (pp. 503-528) nonnulla habes, praefationis gratia, de vita et operibus latini scriptoris, et criticam notitiam de latino textu, et rerum brevem explanationem.

Volumen rite finitur lepida illa lucubratione «Lukios oder Der Esel» (LOYKIOS H ONOS): hinc textus graecus, inde translatio germanica (pp. 529-608). Opus scilicet eruditionis, haud contemnendum nemini qui litteras excolat latinas.

PHILOFONUS, C. M. F.

WILSON POULTNEY, JAMES. — *The bronze tables of Iguvium*. Published by the American Philological Association. University of Illinois. Pag. 334, 17'5x24'5, 1959.

Monographia haec, numero vero XVIII in *Philological Monographs published by the American Philological Association*, magni momenti erit in studium italicarum potissimum dialectorum. In hac editione Grammatica explicatur a clarissimo auctore processu omnino historico. Umbricus autem textus commodiore quidem ratione studentibus adhibetur et offertur, qui et rem penitus intellegere valeant.

Non nulla apposite in praefatione de operis proposito (pp. VII-X). Quaedam de breviationibus et bibliographia (pp. XI-XVI). In introductione Tabularum Iguvianarum opportuna descriptio (pp. 1-24). Et consequitur Grammatica (pp. 25-156). Perspicua, ampla, technica.

Tum vero textus, translatio anglica, commentarium (pp. 157-294). Denique lexicum verborumque index (pp. 295-334), cum tabulis Ia, Va, Vb, VIIa. Optimum scilicet linguisticae monumentum hoc opere sapientium manibus traditum est.

A. MARQUÉS, C. M. F.

Vergil's Aeneid a structural approach. Volume one, The Aeneid, Books I and II. Edited by Waldo E. Sweet. With a Latin Interpretation and Selected Notes from Servius. Ann Arbor, The University of Michigan Press, 1960. Pag. 163, 15x23 cm.

Magnum usum habebit alumnus ex hoc volumine ad alte Vergilium cognoscendum.

Jam vero praeparationem paedagogicam in primum Aeneidos librum habes (pp. 1-27). Textus deinde primi libri, una cum latina accuratissima interpretatione, apparet (pp. 28-87). Tum in alterum Aeneidos librum apta praeparatio (pp. 88-99). Denique textus hujus libri, cum accommodata latina interpretatione (pp. 100-163).

Multae ad calcem notae, a grammaticis Servio et Donato desumptae, Mantuani poetae mentem atque ingenium facile et aperte detegunt. Interpretatio autem latina, latino Aeneidos textui adjuncta, vere aestimanda alumno latinitatis, qui et animi grati significatione abs dubio praeclarum auctorem cumulabit. Typographica libri ratio omni prorsus plausu cumulanda.

XAVER ARNOLD, FRANZ. — *Al servicio de la fe. Ensayo de Pastoral catequética*. Buenos Aires. Editorial Herder, 1960, 82 pag. 22x14 cm.

Novum volumen in bibliotheca catechesium domus Editricis Herder. Haud multae quidem illi paginae, eae vero densae, cum ingenii acuitate tum spiritu apostolico clarissimi auctoris. Ecclesiae catholicae historia quae ad catechismum refertur quasi uno conspectu lectori, solida autem eruditione, offertur hoc in libro.

In tres partes facile dividitur. I. Fides ut salvationis via utque res et veritas plane supernaturalis. II. Sensus historicus pastoralis relationis inter praedicationem et sacramenta, in cura animarum. III. Renovatio «kerygmatica». Pondus historicum libri in primis commendatur. Atque novae, nostris aptatae temporibus, methodi inuuntur et expenduntur.

A. MAQUÉS, C. M. F.

ADAM, LOTHAR. — *Rom. 22 Rundgænge zu allen Merkwuerdigkeiten. Ehrenfried Verlag, Stuttgart, 1960.*

Plurimi quidem de Urbe Roma libri adhuc omnibus in nationibus exstant, qui et omnium manibus versari solent. Hic vero clarissimi viri Lotharii Adam in primoribus de hac re est adscribendus. Volumen intus exteriusque commodum et jucundum, quod Editrici Domui Ehrenfried Klotz maximo erit honori.

Liber est exaratus ab homine penitus almae Romae amantissimo, qui eam ad unguem, praesertim in re sacra, novit; qui lectorem — peregrinatorem inquam — facili laetantique manu per eam mediam ducit, atque eundem almae primae aetatis christianae scientia imbuit.

Duae et viginti quasi peregrinationes rem efficiunt, hac vero ratione: *Viminal. Quirinal. Via del Corso. Capitol. Forum Romanum. Kaiserforen. Palatin. Caelius. Marsfel I, II, III. Die Peterskirche. Piazza Vittorio Emmanuele. II. Appia Antica. San Lorenzo fuori le Mura. Santa Agnese fuori le Mura. Ponte Milvius* (p. 11-179).

Nonnullae exstant appendices (pp. 180-248), quibus notior redditur lectori alma Roma, totius nostrae religionis christianae centrum; magnique, commodi sunt nonnullae de re in hoc libro percommoda tabellae.

CURTI, CARMELO. — *Convivium Dominicum. Studi sull'Eucaristia nei Padri della Chiesa antica e miscellanea patristica. Estratto. Centro di Studi sull'antico Cristianesimo, Università di Catania, 1959.*

Haec lepida lucubratio separatim edita a claro viro C. Curti exarata, est prout ad nos transmissa ab Eucherio Lugdunensi. Duo nempe textus Passionem Acauniensium Martyrum tradunt: hic qui conscriptus est ab Eucherio Lugdunensi, medio saeculo V; et Passio anonyma, saeculo VII exarata, quam sapientes autumant a Monacho Acaunensi factam.

Non nulla eaque erudita explicantur ab auctore de Passione ab Eucherio re-

lata. In appendice exstat textus integer, et latina lingua et itala. Operae pretium est eam latinitatem pristinam perlegere ac delibare. Dum haec legis menti tuae subest: vere Martyrum gesta, sermonis ingenuitate huiusmodi documenti, fortissimos in disciplina Christi adamanda fidelium animos efficiunt.

A. MARQUÉS, C. M. F.

R. DELVAUX. — *Pour oser bien parler. Le vademecum du diseur. Maison d'Éditions Ad. Wesmael-Charlier, S. A. Namur, 1960.*

En breve opusculum quinquaginta pagellarum, a praeclaro viro Raimundo Delvaux exaratum. Quidquid ad artem declamatoriam pertinet breviter sed nitido sermone ibi declaratur. Distinctio vocalium, sonorum nasalium, diphthongorum, consonantium summatim aperitur. De litteris euphonicis, de accentu, de voce ejusque distincta emissionem, de pronuntiationis defectibus non nulla innuuntur. De ratione agendi ante orationem publicam, de vocibus et locutionibus vitiosis a magistro sapienter normae exponuntur. Vere opus dixeris «Le vademecum du diseur». Et quamquam regulae in primis linguae gallicae aptantur, aliis quoque dicendi rationibus haec praecepta accommodari possunt.

PHILOPONUS, C. M. F.

Appendix Vergiliana II, Dtrae (Lydia), Copa-Moretum, Catalepton. Recensuit Armandus Salvatore. In Aedibus Paraviae. Torino, 1960.

Hoc novo opere aucta est et dextro omine nobile illud latinarum litterarum «Corpus Scriptorum Latinorum Paravianum», quo Aedes Paravianae de latinitate jam diu bene meritae sunt. Plus sexaginta libros, eosque accuratos et perpolitos, in lucem adhuc ediderunt. Hoc autem recensuit volumen clarus Professor A. Salvatore.

In praefatione tota de his libellis res ab erudito scriptore ad unguem exponitur (pp. V-XXXIII). Lucubratio sane historica, critica, ubi res singillatim describitur. Librorum conspectus, luculentissimus (pp. XXXV-XLV). Atque Ap-

pendix Vergiliana II, elaborato apparatu critico et nitore typographico consequitur. Dirae (Lydia) (pp. 1-22). Copa (pp. 23-32). Moretum (pp. 33-46). Catalepton (priapea et Epigrammata) (pp. 47-82).

Non nulla «Testimonia veterum» tum colliguntur (pp. 83-86). Operique quasi fastigium apponuntur Appendix A (ad Copam), Appendix B ad Moretum), Appendix C (ad Epigrammata), Index, nominum, Index rerum et locutionum praecipuarum (pp. 87-124).

Maxime quidem laudanda est auctoris sollertia in hoc scito opusculo adhibita, qui aliud Corporis Paraviani quoque recensuit: Appendix Vergiliana I: Cirieculex. Quo fit ut Vergilianum «opus minus» commodius a latinitatis cultoribus, qui principem poetarum latinorum amant, intellegatur.

J. F. NIERMAYER. — *Mediae Latinitatis Lexicon Minus*. Fasciculi 7-8. Leiden, E. J. Brill, 1960.

In lucem nuper editi sunt sciti hi fasciculi septimus et octavus numero, magni illius *Mediae Latinitatis Lexicon Minus*, a clarissimo viro J. F. Niermeyer exarati. A voce *laboratio* ad *merces* et a *mercha* ad *pascuarium*, a pagina autem 673 ad 708 usque, vocabulorum expositio decurrit. Eadem sane cura et sollertia atque in ceteris fasciculis adhibetur.

Profecto vocabulorum historia et quasi vita lucido ordine hoc in opere, «Mediae Latinitatis» ante oculos a nobili in Universitate Amstelodamensi Professore objicitur. Quod quidem et multo commodius efficitur vocabulorum conversione in linguas gallicam et anglicam.

Opus magni prorsus momenti iis omnibus humaniorum literarum cultoribus, qui latinitatem ad imum callere avent, quique de sermone latino qui apud nos «vivo» dicitur unice sentiunt. Totis igitur lateribus opus lectoribus nostris, de PALAESTRA LATINA bene meritis, commendandum ducimus atque aestimamus.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

I. CIRANNINI. — *Per non essere bocciati!* Collana delle «3 T»: Tesi, Temi, Traduzione Editrice M. Ciranna, Via Cardinale Agliardi, 15, Roma.

I. *Cato Major, De Senectute. Cicerone*. Costruzione diretta, traduzione letterale e interlineare, note. — Editionem curavit clarus Professor Paschalinus Fontana. Pg. 9.

II. *Laelius, De Amicitia. Cicerone*. Costruzione diretta, traduzione letterale e interlineare, note. — Edidit idem Professor. Pg. 136.

III. *De officiis, libro II. Cicerone*. Costruzione diretta, versione letterale e interlineare, introduzione, argomento, bibliografia. — Exarata est lucubratio a cl. v. Vito Costa, Classicarum Litterarum Prof. Ordinario in Lyceis Nationis. Pg. 108.

IV. *Epistole, libro I. Q. Orazio Flacco*. Testo, costruzione diretta, versione letterale interlineare, argomento, note, scansione metrica e cesure. — Edidit egregius Professor Dominicus Fidele, Pg. 120.

V. *Satire, libro I, Orazio*. Testo, costruzione diretta, traduzioni interlineare, argomenti e note, scansione metrica e cesura. — Editio ab eodem praeclearo Professore exornata. Pg. 114.

VI. *Eneide libro VIII. Virgilio*. Costruzione diretta, traduzione interlineare. — Scitus libellus a nobili Professore Vergilio Lavore exarata. Pg. 60.

Et alii libelli hoc parvum corpus versionis latinae «interlinearis» (*Collana della 3 T*) constituunt a praeclaris Professoribus in Italia exarati, quibus unum idemque propositum atque meta: litteras latinas faciliores reddere alumnis in primis Facultatis litterarum. Quod quidem bene vertat.

PHILOPONUS, C. M. F.

LUMBRERAS MEABE, JUAN MARIA S. J. — *Los Colegios de la Iglesia en España, ¿son un negocio?* Publicaciones de la Federación Española de Religiosos de Enseñanza.

Hic libellus est velut maturus fructus duorum disputationum, in nobili comentario «El Mensajero del Corazón

de Jesús», una cum duobus ibidem responsis.

Brevis, densus, prudenti consilio perpensus. Is vero materiei tenor: *Presentación* (p. 3). *La campaña y los principios fundamentales del problema* (pp. 5-7). *Las soluciones dadas en los países europeos* (pp. 8-13). *La situación de España* (pp. 14-17). *Soluciones y resultados* (pp. 18-22). *Objeciones* (pp. 23-47). *La labor educacional gratuita de la Iglesia en España* (pp. 48-56). *Reflexiones* (pp. 57-58). *Apéndices* (pp. 59-64).

De re summa auctoritate jam egerat Excmus. et Rdmus. Episcopus Flavio-brigensis, luculentis Litteris Pastoralibus, eamque apud nostrates suscepit lepido hoc libello clarus P. Lumbreras

WARNER REX. — *Il giovane Cesare: autobiografia immaginaria*. Giangiacomo Feltrinelli Editore. Milano, 1960.

Hujus operis inscriptio primigenia «The young Caesar», Rex Warner, 1958, Collinis London. Ab anglica in italicam linguam convertit clarus vir Attilius Veraldi. Nuperrime editum est in Anglia alterum volumen «Imperial Caesar», quod eadem Domus Editrix Feltrinelli jam jam italice redditum in lucem est emissura.

Omnium quidem studiosorum plausu opus receptum est, cujus scriptor maxime nobilis in litterarum humaniorum provincia. Hujusmodi vero in libro stilus est quid omnino definitum et perfectum. In quo singularitatem, immo et gravitatem scriptorum C. Julii Caesaris in soluto sermone praeclari scriptoris Warner miram comparisonem reperire dicas.

Facillimo agilique conscriptus calamo liber, uno fere tenore perlegitur. En tibi operis conspectus: «*Libro primo*: I. *La mia famiglia*. II. *Un incontro per la via*. III. *Iniziazione politica*. IV. *Scontri nel Foro*. V. *La caduta di Roma*. VI. *Il ritorno di Mario*. VII. *La fine di Mario*. VIII. *La vittoria di Silla*. IX. *La mia fuga* (pp. 15-120).

«*Libro secondo*: I. *Il re di Bitinia*. II. *Ritorno in Italia*. III. *Primi passi in politica*. IV. *I pirati*. V. *Ritorno a Ro-*

ma. VI. *Pompeo e Crasso*. VII. *Elogi funebri*» (pp. 121-212).

«*Libro terzo*»: I. *Il tempio di Gades*, II. *Pompeo e Lucullo*. III. *La congiura*. IV. *Successi e insuccessi*. V. *Pontefice massimo*. VI. *Il caso di Rabirio*. VII. *Catilina lascia Roma*. VIII. *Il dibattito sulla congiura*» (pp. 213-312).

«*Libro quarto*»: I. *Disordini*. II. *Scandali*. III. *Governatore in Spagna*. IV. *L'elezione consolare*. V. *Console*. VI. *Prima della partenza*» (pp. 313-383).

In eleganti scitoque prologo, propositum totius libri ab auctore commode explicatur (pp. 9-14). Maxima vero cura et sollertia typographicae artis a Domo Editrici Feltrinelli in hoc opere evulgando adhibita est. Eundem immo ampliorem exitum alteri volumini «Il imperiale Cesare» exoptamus.

A MARQUÉS, C. M. F

OVIDIUS NASO, PUBLIUS. — *Fasti. Festkalender Roms*. Lateinische deutsch, Ed. Wolfgang Gerlach. 426 pag., 11x18 cm. Tusculum-Buecherei Ernst Helmeran, München, 1960.

En tibi libri hujus index: *Erstes... sechstes Buch* (pp. 6-369). *Dichter und Dichtung* (pp. 371-372). *Das römische Jahr uns der römische Kalender* (pp. 373-374). *Ausgaben Handschriften und Text* (pp. 375-376). *Literatur* (pp. 376-379). *Die kalendermaessige Gliederung der Fasti* (pp. 380-383). *Anmerkungen* (pp. 384-425). *Namenregister* (426-436).

Mens erat nobilissimi vatis Ovidii in conscribendo hoc Fastorum opere, descriptionem posteris tota poetica arte ornatam tradere omnium populi romani festorum, una cum religionis ritibus: cui rei assequendae eum magnopere adjuvit, in Mythologiae provincia ac sacrorum usuum, memoria pristini Imperii Romani, ab Augusto aucta ac renovata.

Lepida hic germanica Fastorum translatio, latino textui aptata, studioso humaniorum litterarum offertur, distincta hic inde tamquam flosculis grammaticis, historicis rhetoricis, geographicis. Porro «Tusculum-Bücherei» novo hoc

volumine, pulchra arte typographica ornato locupletatur.

ROCA MELIA, ISMAEL, Pbro. — *Demetrio Crisoloras y su Homilia inédita sobre la dormición de Marta*. Separata de «Helmántica», n.º 35. Salamanca, 1960.

Propositum auctoris in ipsa inscriptione libelli perspicitur. De thesi doctorali agitur, in Facultate Litterarum Universitatis Pontificiae Salmanticensis propugnata, a Presbytero I. Roca Meliá, Dioecesis Dertosensis. Donec dissertatio in lucem edatur, hic fragmenta praecipua referuntur, quae quidem contrahuntur ad notitiam auctoris et textus Homiliae ineditae. Sic tota dissertatio dividitur: Introductio de Demetrio Chrysolora (pp. 5-20). Conversio hispanica textus graeci (pp. 21-55). Commentarium: Demetrius Chrysoloras et Litterae Classicae (pp. 55-60). Totius libri proximam speramus editionem, quae multa certo certius de devotione mariana apud maiores nostros nobis commonstrabit.

GOLDBRUNNER, JOSEF. — *Libreta de clase de las primeras catequesis. — Confesión Comunion-Confirmación. Versión directa por J. Alberto PRADES, Pbro. 11'6x18'2 cm., ptas. 32.*

GOLDBRUNNER, JOSEF. — *Libreta de clase del «Catecismo Católico». Versión española de J. Alberto PRADES, Pbro. Ptas. 75. Editorial Herder, Barcelona, 1960.*

Duo libri maximi certe momenti Catechistae catholico. Puerorum etenim menti, delineationis in primis ope, facillime doctrina christiana instillatur. Paedagogicum autem horum pondus haud ulla, si a sapientibus aequitas causae benigne audiatur, indiget commendatione.

De re longe laureatus, horum librorum auctor multos annos pueris doctrina christiana instituendis impendit, neque ideo mirum, si adminiculis hodiernis scite utens, ad felicem exitum in proposito consilioque pervenit. Et certo certius programma officinae librariae Herder catechisticum hoc novo opere,

cum locupletatur tum, quod maxime praestat, honestatur.

Optimo hoc thesauro Catechista catholicus doctrina ac disciplina bene pensata et operanti in dogmate explicando munitur.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

MARCUS TULLIUS CICERO. — *De finibus bonorum et malorum*. Das hoechste Gut und das schlimmste Uebel. Lateinisch und deutsch, herausgeben von Alexander KABZA, 1960. S. 472, 11x18 cm. Tusculum-Buecherel, Ernst Helmeran Verlag, Muenchen.

Hoc in memorabili latinitatis opere, transmittit nobis M. T. Cicero quasi mentem et cogitationem philosophorum graecorum, juxta mentem Aristotelis, quae thesauris cognitionum ditatur principis Scriptoris latini.

Liber «de finibus bonorum et malorum» unus ex praecipuis est de moribus in classica antiquitate, qui vel doctrinam Christianam multifariam assecutus est. Etenim per scripta philosophica M. T. Ciceronis notitia nobis est de potissima graecae philosophiae provincia, et sine hujus modi operibus verisimile nobis in praesentiarum oblitae laterent plurimae res antiquorum temporum magni momenti.

Hac autem in editione, latina et germanica, a claro viro A. Kabza elaborata, is materiei cursus: textus et translatio quinque librorum (pp. 5-431). Cicero ejusque opus (pp. 432-434). Summa uniuscujusque libri (pp. 434-446). Ad textus explicationem (pp. 447-448). In singulos libros notitiae (pp. 448-454). Nominum propriorum index (pp. 455-472).

PHILOPONUS, C. M. F.

SOLTERO GOMEZ, CARLOS. — *El «Apéndice Virgiliano»*. Universidad Católica del Ecuador. Publicaciones del Instituto Superior de Humanidades Clásicas, pag. 176, 14'5 x 20'5. Editorial Clásica, Quito-Ecuador.

Elucubratio ad Lauream in Facultate Philosophiae et Litterarum, in Universitate Catholica Aequatorensi, assequen-

dam, a claro viro Carolo Soltero González hic scite editur. Ex ipsa operis inscriptione propositum auctoris perspicitur: id est, novum lumen de nota illa Vergiliana «Appendice», accendere.

Quinque solidis capitibus scitaque de re conclusione tota res perstringitur, hac vero ratione: I. *Trascendencia del estudio del «Apéndice»* (pp. 1-5). II. *Proceso histórico del Apéndice* (pp. 6-19). III. *Criterios empleados en el estudio del Apéndice* (pp. 20-35). IV. *El criterio de crítica interna* (pp. 36-55). V. *Necesarias eliminaciones en el Apéndice. Su falta de unidad* (pp. 56-157).

Quae tamen pars alias in speciales, ex diversis argumentis, dividitur: «Culex Ciris, Aetna, Priapea-Epigrammata, Dirae-Lydia, Copa, Moretum», cetera. Ampla et selecta bibliographia opus laudatum locupletatur.

PHILOPONUS, C. M. F.

BIELER, LUDWIG. — *Geschichte der Roemischen Literatur: I. Die Literatur des Republik. II. Die Literatur der Kaiserzeit.* Sammlung Goeschen, Band 52, Band 866. Walter de Gruyter & C. Berlin, 1961.

Duobus his novis operibus, de Historia litterarum romanarum, nobilitatur illa collectio «Sammlung Goeschen», adeo de scientia deque arte bene perita. Tomus I est de Rei publicae litteris latinis. In introductine (pp. 4-21) diserte a clarissimo scriptore Dr. Bieler agitur de materiei fine, atque de proprietate, conservatione, fontibus litterarum latinarum. Tum duobus in amplioribus partibus: I. Romanorum litterae usque ad mortem Scipionis Junioris (pp. 22-80). II. A Gracchis usque ad mortem Ciceronis (pp. 89-152).

Tomus II totus est de litteris temporis Caesaris. Eo tenore: III. De tempore Augusti (pp. 4-75). IV. De saeculo Epigonorum (pp. 65-103). V. Nova et Vetera (pp. 103-125).

Uterque tomus locupletatur amplissimo nominum rerumque indice, quo libri usus et facilior commodiorque reddatur. Libri hi idemque omnes collectionis «Sammlung Goeschen», maximo opere studentibus commendandi, ex auctorum

ingenio atque doctrina singulis in lucubrationibus edendis.

FERRERO, LEONARDO. — *Cultura e poesia in Roma Testi e Letture. II. Età imperiale da Augusto a Traiano.* La Nuova Italia, Firenze, 1961, pag. 288, 15x22.

Haec scriptorum latinorum anthologica aptius respondent operi, cui titulus «La letteratura latina. Profilo e testimonianze», edita da 'La Nuova Italia', 1959». Textus vero atque litterae decurrunt ab Augustea imperiali aetate ad Trajanum usque. De altero hic agitur operis volumine.

Hic autem capitum index. IX. II *Mecenatismo Augusteo* (pp. 5-61). X. II *Circolo di Messalla* (pp. 62-84). XI. *Consapevolezza di una conclusione: Gli Storici* (pp. 85-119). XII. *La Letteratura dell'Assolutismo* (pp. 122-150). XIII. *Il fermento stoico e l'opposizione aristocratica* (pp. 151-219). XIV. *I Flavi e l'Impero amministrativo* (pp. 220-252). XV. *La Restaurazione illuminata* (pp. 253-286).

Plures auctorum latinorum textus hujus aetatis vel convertuntur vel explicantur amplo et elaborato commentario a conspicuo scriptore L. Ferrero, cui litterae Latinae earumque seduli cultores multa alia opera debent. Liber hic tota sane typographica arte decoratus, quod solet Editrix domus «La Nuova Italia». Quamobrem commentarii nostri *Palæstra Latina* lectoribus maxime eum commendant.

I. GONZÁLEZ. C. M. F.

Itinerarium Egeriae (Peregrinatio Aetheriae). Herausgegeben von Otto PRINZ. Fünfte, neubearbeitete und erweiterte Auflage. Heidelberg, Carl Winter, Universitätsverlag, 1960.

Lepidum hoc opusculum in nobili illo corpore «Sammlung Vulgaerlateinischer Texte» iterum editur. Hanc vero quintam editionem hujusmodi documenti maximi momenti in latinitate paravit Dr. O. Prinz. In qua quidem iterum recognoscuntur et amplificantur

superiores quattuor editiones, a praeclaro viro Gulielmo Herereo exaratae, quaeque inscriptae erant «Silvae vel poiis Aetheriae peregrinatio ad loca sancta».

Non nulla de rei introductione (V-IX). De bibliographia et translationibus (pp. X-XVI). Itinerarium Egeriae: textus accuratus cum apparatu critico (pp. 1-58). Index tandem nominum propriorum completus (pp. 59-62). Qui de sermone latino vulgari notitiam habere optant, minime hunc textum negligere possunt. Merito enim tanquam praecipuum de re monumentum apud viros doctos habetur.

A. MARQUÉS C. M. F.

TRZECIESKI, ANDRZEJ. — *Carmina Wiersze Lacińskie*. Opracował, przelozył i Wstępem poprzedził Jerzy Krókowski. Pag. 710, 17x24. Wrocław MCMLVII, Zakład Narodowy Im. Ossolińskich Wydawnictwo Polskiej Akademii Nauk.

Quod ad litterarum latinarum provinciam pertinet, solido in volumine, polacae Academiae Naukensis patrocinio donato, Instituto vero litterario Badanensi duce, plurima hodiernae contexturae carmina nobilis poëtae A. Trzeczieski inveniet curiosus lector, quae quidem polaca lingua conversa remanent.

Ita liber totus commode dispescitur. I. Carmina majora vel libris peculiaribus typis excusa (pp. 1-365). II. Carmina minora ex diversis aliorum auctorum libris typis excursis maximam partem collecta (pp. 366-461). Quaedam prosa oratione conscripta (pp. 462-546).

Ultima autem voluminis pars commentaria historica, indices, illustrationes amplectitur (pp. 547-710). Plus quinquaginta pagellarum spatium (V/XLVI) et totius operis index et praeclari auctoris propositum lectoribus studiose offertur.

FREUDENBERG, GUENTER. — *Die Rolle von Schönheit und Kunst im System der Transzendentalphilosophie*. S. 88, 15'5x23. Verlag Anton Hain Kg-Melsenheim am Glan. 1960.

Fasciculus hic decimus tertius in Commentarium de Philosophica Inquisitione, a praeclaro viro G. Freudenberg

scite exaratus. Partibus vero pulchritudinis et artis inquirendis, in systemate Philosophiae Transcendentalis, hoc opus destinatur.

Quae rei materia his in partibus explicatur: Introductio (pp. 9-20). «Problematis» expositio (pp. 21-24). De partibus artis in Philosophia (pp. 25-41). De pulchritudine uti rationis in natura praesentia (pp. 42-63). De arte uti naturae in conscientiae fecunditate (pp. 64-88).

Paucis, in praefatione auctoris propositum ac tenor in lucubratione evolventa ob lectoris oculos apparet. Atque tota libri res facilius, ex accuratis diversisque indicibus hinc inde positus, redditur.

PHILOPONUS, C. M. F.

PLUTARCHUS. — *Moralia*, VI.2. Edidit M. POHLENZ, curavit addendisque instruxit R. WESTMAN.

PLUTARCHUS — *Moralia*, VI.3. Ediderunt K. ZIEGLEN et M. POHLENZ, iterum recensuit POHLENZ, Lipsiae in aedibus B. G. Teubneri.

His nuper editis operibus aucta est. «Bibliotheca Scriptorum Graecorum et Romanorum Teubneriana», Academia Scientiarum Germanica Berolinensi duce, quae quidem linguae graecae studiosis vel maxime utilia erunt.

Primo fasciculo continentur: «Libri contra Stoicos scripti», hac vero ratione: «De Stoicorum repugnantibus (pp. 2-58), Stoicos absurdiora poëtis dicere (pp. 59-61). De communibus notitiis contra Stoicos» (pp. 62-122). Praeterea «Libri contra Epicureos scripti»: «Non posse suaviter vivi secundum Epicurum (pp. 123-172), Adversus Colotem (pp. 173-215), De latenter vivendo» (pp. 216-223). Tandem *Addenda* collegit et adjecit R. Westman (pp. 224-240), quibus iudicia doctorum continentur de prima editione eorumque opiniones de textu constituendo vel emendando.

Altero vero in fasciculo evulgantur: «De musica» (pp. V-XIV, 1-36), «De libidine et aegritudine» (pp. 38-48), «Parsne an facultas animi sit vita passiva» (pp. 49-54). Criticus autem librorum apparatus ad fidem codicum maximis ite-

ratisque curis exhibetur, et judicia et editiones virorum doctorum commemorantur.

C. *Julii Caesaris Commentarii de Bello Civili*. Erkläert von KRANER-HOFMANN-MEUSEL. Mit einem Nachwort und bibliographischen Nachtraegen von HANS OPPERMANN und 5 Karten P. XVI-426. Weidmannsche Verlagsbuchhandlung, Berlin Charlottenburg 9. Ulmenallee 23, 1959.

Haec duodecima, mirum sane!, editio hujus operis a clarissimo Professore Henrico Meusel peracta est, cui epilogus et supplementum librorum, ad nostra usque tempora, a nobili Professore Johanne Oppermann addita sunt.

Ingenium, virtutes, totaque Caesaris persona maximopere, ut par est, laudantur. Textus et commentaria «De Bello Civili» ad apicem criticae artis hic litterarum latinarum studioso proponuntur, immo et cultori scientiae historicae pristinae gentis romanae. Liber hic de re inter «classicos» relatus, nulla in bibliotheca humanitatis desiderandus.

A. MARQUÉS, C. M. F.

PLUTARCHUS — *Moralia*, V, 1. Ediderunt C. HUBERT, M. POHLERS, H. DREXLER. Lipsiae in aedibus B. G. Teubneri, 1960. Bibliotheca Scriptorum Graecorum et Romanorum Teubneriana.

Hoc volumine quinto, fasciculo primo *Moralium* Plutarchi eae notae lucubrationes colliguntur: «Maxime cum principibus philosopho esse disserendum; Ad principem ineruditum; An seni sit gerenda res publica; Praecepta gerendae rei publicae; De tribus rei publicae generibus; de vitando aere alieno».

Praeit volumini perampla et doctissima praefatio, a claro Professore M. Pohlenz exarata, in qua et textus propositus et loci difficiles, et emendationes et editiones et singulorum librorum memoria commemorantur summaque cura expenduntur (pp. V-XXXII). *Addenda* nonnulla a nobili Professore H. Drexler colliguntur quibus praecipuae libri recensioni primae editionis continentur.

PHILOPONUS, C. M. F.

M. TULLI CICERONIS *Epistulae* Vol. III: *Epistulae ad Quintum Fratrem, Epistulae ad M. Brutum, Fragmenta Epistularum. Accedunt Commentariolum Petitionis et Pseudo-Ciceronis Epistula ad Octavianum*. Recognovit et adnotatione critica instruxit W. S. WATT Oxonii, e Typographeo Clarendoniana, a MCMLVIII.

Jucundum sane est opera classicorum, veluti procerum in republica litterarum. maxima observantia a viris doctis tractari. Cujus rei causa haud dubie, hic pulcher liber cum in manus venit, oculis animoque oblectamento fuit. Nec mirum; omnibus enim patet typographicum Clarendonianum non modo venuste sed et accurata religione optimorum scriptorum opera in lucem edere. Neque laudibus indiget Oxoniensis Scriptorum Classicorum Bibliotheca, cujus volumina ipsa sibi sunt laudi. Liceat tamen singulas cl. v. Watt ante hujus voluminis opuscula praefationes mero latino exaratas ex animo praedicare; in eis rationes ad textum eligendum atque edendum breviter commemorat. Tandem quod omnia in his libris, a capite ad calcem, latine describantur, optimum est omen quo propagentur et perpetuo ad posteritas hominum aetates permaneant.

E. TEJERINA, C. M. F.

E. C. WOODCOCH, M. A. — *A New Latin Syntax*, London, Methuen and Co Ltd. 36 Essex Street, 1959.

Hic liber, XXV capitibus doctrina confertis, praecipuarum constructionum latinarum rationem historicam praebet eo ordine dispositam ut usui esse possit eis qui in superioribus ludorum vel Universitatum scholis syntaxi latinae cognitionem gradatim recolere et perficere student. Cujusque constructionis syntacticae expositio luculenter comprobatur exemplis ex scriptorum serie a Plauto usque ad Tacitum deductis. Historica haec explanatio commodior et utilior erit studiosis quam illa praeceptorum et regularum copia quae adjectis multis exceptionibus, reperiuntur in scholarum libris compositioni exercendae designatis.

Libri propositum est studiosos latinitatis ita doctrina exemplisque instruere ut scriptores interpretari et lingua latina scribere possint. Ordo ipse in materia tractanda huic aptatur utilitati, neque strictim servatur ordo grammaticarum amplissimarum quae singulas constructiones plane separatim pertractare solent. Indices locupletissimi, praesertim exemplorum index, opus magis reddunt tractabile et utile.

Optimus quidem liber est sub quovis aspectu: si copiam doctrinae et iudicii sanitatem vel si curam et perfectionem consideras quae toto opere splendent. Immo hic liber inter praecipuos numerabitur necessarius iis qui syntaxim latinam penitus, non imbecillo quovis modo, tractare et callere volunt.

EINAR LÖFSTEDT. — *Late Latin* (Instituttet for Sammenlignende Kulturforskning, Serie A: Forelesninger, XXV), Oslo, 1959. H. Aschehoug & Co. (W. Nygaard).

Hic liber vel maxime commendatur quod mortuo auctore editus est et e vernacula Suecorum lingua in anglicum est translatus. Institutum Humano Cultui Compare Investigando destinatum cl. Professore Löfstedt, in his rebus doctissimo, operis editionem proposuerat; idemque Institutum post mortem auctoris totius negotii curam assumpsit; cui quidem accurate opera data est.

Quae vero scriptor summa auctoritate pertractat ipsius indice facile comprobatur.

In quo decem sunt capita. *Preliminary Remarks. Late Latin, Vulgar Latin, Romance, Local Variation in L. Medieval L. The Christian Influence, The Influence of Greek. Some changes in the Nominal System. Changes in the Meaning of Words, Some, Proposition and Particles. Taboo, Euphemism, and Primitive Conceptions in Language, Literature, Indices: rerum, verborum, locorum.*

Multa doctrinae documenta, plurimaeque verborum notiones hoc opere continentur, quae quidem magno usui et commo erunt studiosis. Indices maximam habent utilitatem in quibus tamen pau-

ca verba desiderantur: *bonanza*, p. 186, *comer*, 40, *llegar*, 45, *subir*, 46, *verguita*, 45, 49 (potius e «verga» educerem *nascenza*, 49, *mettere*, *meter*, 32, *apagar* 190, *pescado*, *venatio*, 146, cet.

Hoc postumo libro doctrina illius summi magistri E. Löfstedt, qui veterem antiquitatem penitus coluit, absolvitur atque completur.

E. TEJERINA, C. M. F.

D. JUNI JUVENAL. — *Satires*. Volum I. Text revisat i traducció de MANUEL BALASCH, Pvre. Fundació Bernat Metge, Barcelona, 1961.

Et Corpus Scriptorum *Bernat Metge* novo hoc volumine locupletatum est et «Hispania Mater»; nam haec est prima apud nostrates integra Juvenalis latina editio, quam optima in catalaunicum translatione ornavit E. Balasch presbyter. Editor textum quem *Labriolle* et *Villeneuve* statuerunt fere persequitur, a quo non semel ipse recedit ut quae sibi sunt meliora visa proponat (cfr. p. 53). Introductionem perlegi, ubi praeter consueta de vita et operibus Juvenalis atque textus transmissi historiam (in qua quaestione *Viannello* scriptoris itali opinionem sequitur), leges quoque Juvenalis poetae strenuam defensionem adversus doctorem *Marmorale*, qui nihil *verae poëseos* apud latinum scriptorem invenit... Placet defensio argumentorumque series: Juvenalis re vera poeta est et magnus poeta, quamvis nonnumquam dormitet aut viribus defectus magis reptare videatur quam volare. Haud facile quidem est hexametros illos in vulgatum transferre sermonem. Id tamen est interpret assecutus.

Quod ad satirarum argumentum attinet, Dr. Balasch magni momenti se arbitratur invenisse locum unde comprobetur scriptorem latinum non semel a graecis argumentum derivasse. Ipse enim (p. 126) in Herodoti *Hist. III,42* nucleum videt quem longa post saecula Juvenalis poeta in *Sat. IV* evolvendum suscepit.

Liceat aliqua notare quae in posterum meliora reddantur, praeter alia minoris momenti: redditum non video *solus habet* (III,122), neque *veterem* quod

verbum *luxuriam* definiat, neque perspicio cur «*soleã pulsare natis*» (VI,611) marito, non *natis*, in translatione referatur.

Sed haec minoris sunt momenti. Alias satiras ita redditas exspectamus vehementer.

P. PAPINI ESTACI. — *Silves*. Vol. III (Llibres IV i V). Text revisat i traducció de Guillem COLOM i Miquel DOLÇ. Fundació Bernat Metge. Barcelona, 1960.

Quod opus in catalaunicum transferre et latine edere sibi proposuerant auctores, nunc hoc III volumine tandem perfecerunt. Eo volumine libri IV et V continentur eadem lege et conditione qua superiora volumina. Opus perfectum laeti salutamus.

Q. S. FLORENT TERTULIA. — *Apologetic*. Text revisat, introducció i notes de Miquel DOLÇ. Traducció de Fèlix SENTIES. Fundació Bernat Metge, 1960, Barcelona.

Haud parva affectus sum voluptate Tertulliani *Apologeticum* legendi, quem lingua latina et catalaunica legere licuit. Editionem latinam curavit industrius et indefessus Michaël DOLÇ qui quidem in textu statuendo Fuldensem codicem in universum est secutus.

Complectitur ergo editionem J. P. WALTZING et A. SEVERYNS, quos tamen cum oportuit et expunxit et meliores reddidit. Idem doctor introductionem retextit in qua quis Tertullianus fuerit cum auctoritate describit, qua homo, qua christianus, qua «montanista».

Translationem fecit F. SENTIES, aptam totumque exprimens sensum. quamquam non semper illa dicendi vi ac verborum brevitate Tertulliani propria.

Quaedam irrepserunt typographica menda, quae in aliis quae sine dubio fient editionibus, expungentur.

Hoc praeclarum scriptorum Corpus, 137 jam volumen attingens, novo volumine gemma pretiosissima distinctum est et locupletatum.

PLAUTE. — *Comédies*. Volum XII. *El Malcarat. La Maleta*. Text revisat i traducció de Marçal OLIVAR Fundació Bernat Metge, 1960, Barcelona.

Animo constanti Plautinas edere comoedias atque interpretari Martialis OLIVAR pergit. Hoc volumine (quod XII ordine est) *Truculentum et Vidulariae* quae supersunt fragmenta praebet. Probam translationem duco quae valde Plautinos sales exprimit sermone patrio. Res haud facilis cum de comoediis maxime corruptis agatur. Haec notanda videntur: ni me omina fallunt v. 182 non translatum esse neque esse omissionem hoc loco explicatam. In v. 160 *tua* scribitur pro *tu a* (quod sensum mutat), v. 905 vox *pulvinis* non redditur.

Ut vides pauci naevi, quibus melius appareat quanti sit haec editio facienda.

P. TERENCE AFEN. — *Comédies*. Vol. IV. *La so-gra. Els germans*. Text revisat i traducció de Dr. Joan COROMINES.

In hoc IV Terentii Afrj comoediarum volumine, Dr. J. Coromines *Hecyram* et *Adelphoe* catalaunice translatas cum textu latino affert eadem ratione ac via qua alias jam pridem translatas edidit. Placet in translatione illa vivida primigenii exempli expressio et luculenta, qua totum fere Terentii leporem et jucunditatem percipias.

Ni fallor in *Adel.* v. 969 *vin hoc fieri* non transfertur. In actibus comoediae *Hec.* non eadem est ratio latina ac translationis. Argumentis prolatis et probabilibus hanc discordiam immittit clarus auctor, a quo et alias comoedias quam primum editas exspectamus.

J. SIDERA. C. M. F.

SOYTER, GUSTAV. — *Griechischer Humor von Homers Zeiten bis Heute. Kulturgeschichtlich interessante Texte aus drei Jahrtausenden Griechisch und Deutsch*. Akademie-Verlag. Berlin, 1959.

En opus novum et lepidum: opus dico quo festivitas facetiarumque graecorum amor continetur ab Homeri aetate

ad aetatem nostram. Varii textus exhibentur e variis auctoribus selecti et per tempora distributi. Classicae aetatis videas praeter Homerum, Aesopum, et Platonem, Xenophontem et Theophrastum, aenigmata et proverbia. Temporis Hellenistici afferuntur Theocritus, Callimachus, Lucianus aliique multi. Multa quoque scriptorum fragmenta referuntur aetatis Byzantinae et recentioris.

Hic liber praeter propositum festivitatis demonstrandae graecorum, hanc quoque virtutem habet, quod totius linguae graecae evolutionem uno veluti conspectu praebet. Hoc volumen tertium est in *Collectione Schriften und Quellen der alten Welt* ab sectione Germanicae Academiae Berolinensis, ad studium antiquitatis promovendum.

Venit apud *Akademie-Verlag*. Berlin 1, Leipziger Strasse 3-4. pretio DM 17'50.

MENANDRI. — *Dyskolos*. Griechisch und deutsch mit textkritischem Apparat und Erläuterungen herausgegeben von Max TREU. Ernst Heimeran Verlag, München, 1960.

Sine dubio ex recentioribus inventis unum de primis locis ad antiquitatem cognoscendam haec comoedia Menandri integra obtinet, nuperrime inventa, cui index *Dyskolos*, quam primus edidit Prof. Victor Martin. Hanc editionem summa adhibita cura paravit, notulis instruxit et germanica translatione apparatusque critico Max TREU locupletavit, vir inter germanicos philologos nobilissimus. In hoc volumine habeas quidquid a doctoribus in criticis studiis de *Dyscolo* dicta adhuc sunt.

SALLUST. — *Werke und Schriften*. Lateinisch-deutsch. Herausgegeben und übersetzt von Wilhelm SCHÖNE unter mitwirkung von Werner EISENHUT. Heimeran Verlag, München, 1960, 2. Auflage.

Denuo Heimeraniana Sallustii editio —quam curavit et germanice interpretatus est Vilelmus SCÖHNE —, in lucem

prodiit, valde locupletata. Nam in hac editione, praeter ea quae in prima edita sunt, opera ac studio W. EISENHUT addita sunt: *orationes et epistulae excerptae de historiis, Ciceronis invectiva in C. Sallustium Crispum*. Addita sunt quoque quaedam cl. v. Eisenhut studia circa Sallustium historicum (*Sallust als Historiker*) et de quaestione circa sinceritate et authentia «*invektivaen*» et epistularum (*zum problem de Echtheit der Invektive und der Briefe*). Denique longa additur librorum series de Sallustio ejusque operibus et scriptis.

Ut patet haec altera editio longe priori praestat.

CARLOTTI, UGO — *Mirabilia Urbis Romae*. Angelo Belardetti Editore. Roma, 1960 (83 pag.).

Olympiorum Romanorum occasione scriptor «*intra viginti lumina... ut Olympia praeceps concelebraret*», hunc libellum (83 pag.) lepidissimum scripsit. Itinera decem describit quibus optima quaeque Urbis lustres monumenta; utque melius Romae te esse credas ac sentias, latine explicata singula disces. Itinera jucundissima per Capitolium, per Fora, per thermas et catacumbas... eaque per florea poetarum veterum recentiorumque prata; quae cum festus lustraveris, «*cibus romano more coctis*» vires reficere poteris in quacumque «*ex peculiaribus Romae cauponis*»...

De opusculo jucundissimo auctori gratulamur.

J. SIDERA, C. M. F.

Q. CURTIUS RUFUS. — *Geschichte Alexanders des Grossen*. Lateinisch und deutsch. Heimeran Verlag, in München, 1960.

Hanc Curtii Rufi editionem curarunt Konrad Müller, qui textum paravit et apparatu critico instruxit, et Herbert SCHÖNFELD, qui translationem germanicam fecit. Unusquisque auctor de suo labore respondet. In textu statuendo K. Müller hanc Valentis Acidalii (1567-95) criticam annotationem praemittit: «*etiam is corrigit qui corrigere prohibet, ubi nihil corrigendum*». Qua sane annotatione adductus, ipse libere

procedit verum existimans ac statuens prout e textu et e codicibus eruitur, nunc aliorum sententiam amplectens, nunc reiciens prout in singulis rebus veri trutina inclinat. Haud paucas elucidat quaestiones criticas ex studio amplo atque accuratissimo clausularum, prosodiae, analysis rhythmicae. Notanda insuper in hac editione index bibliographicus, notulae et temporum Alexandri Magni distributio.

Opus utile ac novum in hac Curtii Rufi editione habes.

HJALMAR FRISK. — *Griechisches etymologisches Wörterbuch*. Lieferung 10 et Lieferung 11. Carl Winter - Universitätsverlag. Heidelberg 1960 - 1961.

Hoc dictionarium sine intermissione edi pergit: en ultimi qui prodierunt fasciculi. Prior a verbo κλάζω ad κοψιχός complectitur. Cum hoc fasciculo 10 primum volumen — 938 paginis contentum — absolvitur. Hac de causa ipsi operis prologus praeficitur et longissima auctorum et operum et commentariorum in hoc opere faciendo adhibita series. Fasciculo 11 volumen alterum incipitur, qui fasciculus a verbo κρᾶσβατος ad λείβω procedit.

In felicem eventum hoc alterum quoque volumen ut quam primum perveniat exoptamus.

BÜCHNER, KARL. — *Sallust*. Heidelberg, Carl Winter - Universitätsverlag, Heidelberg, 1960.

Haud facile de Sallustio homine et historico recte riteque existimare iudiciumque proferre, cum alii longe aliter de eo sint per tempora opinati. Eduardus enim Schwartz Sallustii momentum in historia fere negavit cum partium studio omnino motum iudicaverit. Klingner autem et Drexler veracem fuisse veterem scriptorem sunt testati. Carolus Büchner secure procedit hac in re cum opinatur nemini dicere una philologiae opera uso, Sallustio appropinquare, nisi philosophiam secum comitem deducat. Sunt enim men-

tis cogitata ac verba ut *virtus, ingenium, gloria, mores...* quae tunc tantum rectae subierunt interpretationi cum ad philosophiam atque ad temporum adjuncta perpensa sunt.

In priore parte C. BUECHNER de lustio politico loquitur. Quod ut melius declaret necessario prius debuit authenticam epistularum ad Caesarem datarum atque invectivae in M. T. Ciceronem statuere. Haec scripta Sallustii re vera esse declarat, quamquam negat auctoritatem invectivae Ciceronis in Crispum Sallustium.

De Sallustio igitur asserit eum re vera politicum fuisse, eumque magni momenti officiis functum esse non fortuna quadam et amicitia vel potentium gratia, sed quod idoneus erat muneribus fungendis. Caesare occiso, Sallustius historiis scribendis vacavit ut quod factis et studiis politicis intenderat, scriptis prosequeretur. Cum primam operis partem Sallustio politico tribuerit, alteram historico viro dicat ejusque scribendi modo et stilo, tertiam operibus perpendendis eorumque in alios aliarum aetatum scriptores momentum et vim.

Modeste opinatur se experimentum tantum fecisse et quasi operis delineationem. Puto tamen opus optimum fecisse et ad Sallustii nomen et momentum plenius cognoscendum omnino necessarium.

J. SIDERA, C. M. F.

SCEVOLA MARIOTTI e GERARDO SANI. — *Sintaxis Latina*. La Nuova Italia Editrice. Firenze, 1960.

Haec est syntaxis scholaris quam condiderunt scriptores ut et alumnos juvarent et magistris subsidio essent. Utrumque assecuti sunt. Regulae syntacticae — etsi non «scientificae» proponuntur, doctrinae optimorum recentissimorumque doctorum aptantur, praeterea copiosis exemplis illustrantur. Etiam quamplurimae exercitationes gradatim faciendae proponuntur: 224 admodum exercitationes (brevioribus sententiis constantes), 215 themata quae narrationem aut cogitata uno tenore

exposita praebent. Cum exercitationes tum themata et «*repetitiones*» ex italicum in latinum et ex latino in italicum solvenda alumnis traduntur.

Opus utile ducimus et magistris et alumnis italis praesertim.

VAN DEN BESSELAAR, JOSÉ.—*Propylaeum latinum*.

Volume I: *syntaxe latina superior*. Volume II: *lectura - exercitios - vocabulario*. Editora Herder. São Paulo, 1960.

Josephus Van BESSELAAR hoc *propylaeum* latinis scriptoribus aduendis exstruxit. Propylaeum dixi eo quod nihil aliud sibi auctor proposuerit quam facilem omnibus sternere viam ad scriptores latinos ipsi per se legendos.

Duobus voluminibus opus absolvitur: priore continentur syntaxeos grammaticae regulae.

Hujus voluminis in priore parte regulae nudaе proponuntur, apte explicatae et exemplis illustratae, in altera eadem res jam antea propositae amplius enodantur, aliaeque adduntur quae incipientibus onerosiores sunt, utiles tamen alumnis provectoribus.

Quamquam scriptor «scientificum» opus renuit et tantum opus utile illis scribere qui sacram ingredi volunt latinum, tamen auctoris doctrina ubique apparet ejusque latinitatis amor.

Alterum volumen exercitationes continet, quibus pedetentim grammaticae regulae exerceantur. Hae exercitationes dividuntur in partes tres: 1) *necessaria et utilia*. 2) *seria et jocosa*. 3) *duo vocabularia*.

Opus ergo absolutum et proposito rite adaptatum.

P. VERGILIUS MARO. — *Die grösseren Gedichte*.

Herausgegeben und erklärt von HERBERT HOLTÖRE. I: *Einleitung Bucolica*. Verlag Karl Alber. Freiburg München, 1959.

Novam en habet Vergilii carminum editionem, novam sane saltem his temporibus, cum translationes quidem mul-

to abundant, commentarii autem potius desint. Herbertus HOLTÖRE hoc primum volumen —*Bucolica* continens— jam olim paratum, nunc tandem edidit aliaque brevi edenda curabit. Modo hoc nobis frui licet volumine.

«Qui unam Aeneida noverit, Vergilium novit», inquit Curtius. Bucolica autem cognosces quam maxime hunc librum legens.

Primum in introductione quae III paginis absolvitur) invenies amplum librorum vergilianorum indicem apte selectorum (175 tituli afferuntur) et fontes unde manet Vergilii vitae et ingenii cognitio, ejusque operum et laborandi modi notitia, leges quoque aequalium iudicia et iudicia scriptorum medi aevi aetatisque recentioris.

Quae testimonia —ab ipsis auctoribus strictim desumpta— in unum laborem generalem contrahit auctor quam syntesim dicas. Deinde, postquam e Vergilii vita investigavit, doctor de omnibus et singulis operibus Vergilii majoribus libere disputat et auctorum praesertim a s. XVII ad XIX existimationem vergilianam exponit ut inde concludat iterum Vergilium occidentis solis hominum patrem et habitum fuisse et haberi, et in posterum habendum; «classicum esse univalem», qui primum locum in Europae cultum humanum longe teneat.

Deinde legas textum nitidum, purum, recte divisum, critice revocatum. At lege et commentarium, quem scripsit et cultissimis viris aptum et alumnis incipientibus. Credo equidem utilissimum utrisque fore, quia omnibus numeris completum, summa tamen brevitatis habita ratione. Difficile tam plura tantulis verbis enuntiare.

In appendice collectas habeas et enodatas formas a Poeta adhibitae quae ad metricam attinent et ad syntaxin et ad morphologiam.

Brevi, ne plura dicam; nescio an meliorem inter recentiores invenire possis commentarium, quem commendo quia nunquam ejus me pudendum speto.

J. SIDERA, C. M. F.

GILBERT STUART. — *Das Rätsel Ulysses, Eine Studie* Rhein Verlag. Zürich, 1960.

Si recte vis interpretari praeclarum illum *Joyce* librum cui est index *Ulysses*, mythorum et symbolorum plenum, ejusque «aenigma» aliquantulum enodare, hoc in volumine optimum invenies adiutorem. Cujus auctor et apprime Homericum novit Ulixem et Joycianum, quorum utriusque mythum inter se continenter confert ut magis lucem in tenebricoso et extricato Joyciano libro et aenigmate faciat.

Quare hunc Gilbert librum utilissimum hac in causa ducimus.

GRIERA, ANTONIO. — *Vocabulario vasco*. (Ensayo de una interpretación de la lengua vasca). Vol. I: *Aáide - Ilástro*, XX, 632 pag. Vol. II: *Ma-Zuzun*, 633 122 pag. San Cugat del Vallés (Barcelona), 1960.

Jam pridem nuntiavi haec magna volumina prodisse in quibus Auctor clarissimus, qui totam vitam linguarum romanicarum studiis totus incubuit, qui praeterea linguae «vasconicae» investigandis originibus multos annos vacavit, asserit illam quoque linguam romanicam esse, cujus 40.000 vocum originem statuit vel se statuisse arbitratur.

Dr. GRIERA inde argumenta desumit quo omnes fere linguae pyrenicae linguis nituntur pastorum rucolarumque pyrenensium, quas quidem auctor apprime quam qui maxime novit. Ideo vasconicae linguae originem in horum gentium linguis quaerendam esse et inveniendam existimat. Cum vero haec lingua longa per saecula nunquam sit literis deformata neque a viris litteratis excolta sed ore per generationes transmissa, adeo corrupta est ejusque leges phoneticae adeo immutatae, ut omne cum aliis linguis vinculum vel ruperit vel deletum sit.

In longa introductione Auctor brevem grammaticae historicae conspectum vasconicae linguae praebet in latina nissus. Leges, quae proponuntur saepe valide apparent, nonnunquam autem non adeo firmatae.

Cum verborum indicem et originem

excudit, plurima plena luce apparent, quaedam autem nimia conjectura iniuxa proponuntur. Non semel legas: «*puede sern, ves un*»... cum vel ipse Auctor lucem in te non percepit. Aliquarum vocum origo violenter deducta videtur.

Certo certus non omnes idem de te sentient. Immo et nonnulli in doctorem egregium impetum facient. Quiddam est semper illud manebit jus, quod nemini denegari licet quodque Dr. Griera sibi vindicat: «*qui mēs en sàpigui, que mēs hi diguin*» (Plura dicat qui scierit plura). Praeterea summus est honore et laude cumulandus vir qui suis viribus inextricabilem rem summa contentione —*gordiano fortasse gladio*— enodare contendit.

J. SIDERA, C. M. F.

A. CART, P. GRIMAL, J. LAMAISSON, R. NOVILLE.

La deuxième année de Latin. Avec la collaboration de François TERS. Fernand Nathan Editeur, 18, rue Monsieur-le-Prince. Paris VI. *Le quatrième année de latin. Trente versions latines* (Cl. de 1^e, Cl. de 2^e, Cl. de 3^e: 1-2-3 Serie).

Cum primum hujus novae Latinae tradendae linguae rationis ac viae volumen prodit, amplissimum iudicium emisi pro meritis laudans. Hoc secundo volumine et tertio auctores eadem progrediuntur via. In secundo anno tamen argumenta ex historia romana desumunt. Unumquodque enim caput aliqua institutione Romanorum Gallice enucleata aperitur, photopicta imagine praecedente, omniaque themata plus minus eandem rem prius propositam evolvunt. Imagines photopictae omnes exprimunt optima signorum aediumque romanorum monumenta, quibus mens et animus «romanitate» plenius imbuantur. In parte grammatica quae potiora syntaxeos sunt perspicue ac lucide enucleantur.

Tertium volumen regulis grammaticis omnibus fere in prioribus cursibus propositis alumnus in ipsos latinos scriptores manu ducit, quorum quam-

plurimos locos rite enucleatos notulisque necessariis instructos exhibet.

Praeter haec volumina libelli nobis pervenerunt quibus compositiones vertendae et themata quae in grammatica primi et alterius cursus sunt proposita, rite ab auctoribus soluta continentur. Magistris summae erunt utilitati.

Miserunt etiam editores aliquot series tricenarum versionum pro alumnis cursuum superiorum ad baccalaureatum — tres series pro cursibus primo et secundo, duas pro tertio, unam pro quarto — (scholae ordine apud Gallos viginti proponuntur). Ut opera auctores sua complerent, in foliis discretis has series tricenorum foliorum vulgarunt, alumnis interpretandas versiones exponentium. Haec omnia in opusculis collectis additaque interpretatine magistrorum usui praebentur.

Qui horum auctorum praestantissimorum operibus utuntur, summam utilitatem ex his «*versionibus*» percipient.

E. MOYANO LLERENA, S.J. *Latin Vital*. Tomo I y II. Editorial Herder. Barcelona, 1960.

Haec volumina laeti salutamus quibus est propositum facilem sternere viam latinam linguam discentibus. Opus quamplurimis (100 nempe) lectionibus iisque brevioribus continetur, quibus gradatim et verba traduntur et regulae grammaticae diluuntur et exercitationes proponuntur. Auctor statim in medium sermonem latinum projicit alumnum quem tamen solatur ridiculariis illis scitisque picturis quibus singulae illustrantur lectiones.

Ut opus in melius perficiatur, haec fortasse corrigenda notavi: 1) proparoxytonae syllabae omnes acuuntur apte, at, uti videtur, proparoxytonae non habentur voces *filia*, *filius*, *incendium*, *prudentiam*, cet. hujusmodi nam non acuuntur.

Quas voces acuere oportebat, cum praesertim Hispani perperam semper fere enuntiemus.

2) alia via proponenda est ad complementum directum facilius ac securius inveniendum.

Nam hispanico quaerenti *QUE* facile respondetur verbo quod vel subjectum sit vel complementum directum.

3) in I, p. 43 supinum verbi *secandi* esse «*sectum*», ut in verborum serie alterius voluminis recte scribitur.

4) Non omnes hanc regulam probabunt: (Lec. 59) *La construcción verbal* mihi videtur, *admite dos variantes*: a *como oración de infinitivo, con el sujeto en acusativo*: «Mihi videtur te esse bonum».

b) *como oración con infinitivo*: con el sujeto de ambos verbos en nominativo: «tu videris mihi esse bonus»; neque hanc (II p. 100): *Verbos de «temer»*: partículas *ne* = que, *ne non* = que no, *quominus*, *quin* = que (si hay negación antes del verbo).

5) in II p. 15: «regnes» avidum spiritum domando, interpretatum: «reina-rás».

6) in lectione 57 non inveni verba *de infinitivo* quae in pag. 65 memorantur.

Praeter haec nonnullaque alia vitia, non nimis quidem facienda, quamplurimae sunt virtutes, quae sine dubio magis, his naevis deletis, magis enitebunt.

J. SIDERA, C. M. F.

HAROLF ETTENSBERGER. — *El libro de los Monaguillos*. 140 pag. Editorial Herder, Barcelona, 1961.

Ex octava editione germanica, cui inscriptio «Das Ministrantenbuch», in linguam hispanicam hic scitus libellus a claro viro Joanne Godo Costa conversus est. Brevibus, iisque perspicuis pagellis, id omne ab scriptore promitur, quod acolytho educando necessarium est. Prima pars de acolytho universe; altera pars de ecclesia vel domo Dei tertia pars de acolytho intra Missam et Communionem.

Plurimis tota res picturis imaginibusve tanquam ante oculos ponitur. Libellus specimen est perspicuitatis, cujus doctrina solida et secunda, quippe quae a maximo rei magistro — praeclaro v. H. Attensperger — enucleatur, et pueris, qui Sacrum peragenti ministrant, praebetur.

A. MARQUÉS, C. M. F.



SCHOLARES LINGUAE LATINAE COMMENTARII

Scripta mittantur ad Moderatorem: Conde, 2, BARBASTRO (Huesca)

Prelium ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Ap. 1042 - BARCELONA - 10

Constat in Hispania et America Hispanica: 20 pesetis; in Gallia: 2'50 francis; in Italia: 300 libellis; in Germania 2 marcis; in reliquis civitatibus: 0'50 dolaris.

ANN. VII — (FASC. III-IV) — N. 27-28 MM. SEPTEMBRI-DECEMBRI A. MCMLXI

Stus. Franciscus in Greccio civitate

Franciscus suis inspicere oculis Infantis Regis egestatem, eodem quo apparuit modo olim Bethlehem, aiebat. Cum ad Domini adventum se pararet haec in ejus mentem venit cogitatio. Notus erat ei vicus cui nomen Greccio, parva incolis civitas, humilis sicut Bethlehem. Prope vicum antrum erat natura ipsa in saxo effossum atque figuratum. Franciscus propositum quod in mente insederat Fratribus significavit, et ut irent populis Greccio vicinis praecepit nuntiantes se cum hominibus puro et recto corde illam sanctam noctem celebrare velle.

Prior ipse adfuit; populos perlustrabat adhortans ut se ad Domini Regis adventum pararent.

Dies fugaces elabuntur... et dies nocti illi sacrae superior appropinquat. Exiit foras Franciscus frigidam vespertinam suavitate aspirandam, nam cum creaturis ejus sororibus colloqui optabat. Tunc, humi genua flectens et brachia distendens quasi universa amplecti vellet et Creatori reddere, exclamavit: «Lauderis, Domine, in fratre sole...». Religiosi Fratres sese contulerunt ubi Franciscus precabatur... et omnes ad parvam Greccio civitatem iter fecerunt.

Cum in locum pervenerunt omnia parata erant, quin asinus et bos abessent. Magnae lucis faces flammis arrectis antro lumen dabant. Postquam Franciscus evangelium cecinit —diaconi enim dignitate ornatus erat—, se ad populum vertens, humilitatem ac dominam suam paupertatem, quam in Domino Infante videt summis laudibus praedicat.

Sacro peracto, Franciscus ad praeseptum accessit, ubi supra fenum dulce Infantis Bethlehemitis simulacrum jacebat, quod manibus sustulit et ad labra admovit. Ad infantis faciem os adjunxit, rubras parvuli genas haultu suo calefaciendi studio. Flebat Franciscus, Jesus autem ridebat; multitudo spiritum cohibens, tacita inspiciebat. Franciscus omnibus ibi adstantibus Parvuli Bethlehemitis simulacrum praebuit ut illi quoque osculum figerent; eosque in Domino benedicens permisit ut abirent.

Cum multitudo egressa est, Franciscus lucis tremorem procul vidit. Circumspexit: ibi nihil erat, tantum noctis frigus..., silentium..., tenebrarum caligo...

Haec Franciscalis Jesu Infantis adoratio in Greccio vico viam posteris insequendam monstravit et omnium representationum quae nunc fictis figuris in Domini Infantis Natali fiunt, origo est.

In urbe Hellin.

JOANNES DE DEO M. CONESA
Philosophiae alumnus

Tauri Michaëlluli fabella

I

Haec est tauri «Michaëlluli» fabella, qui flores olfacere praeoptavit quam cum taurariis decertare.

Fuit quondam taurus «Michaëllulus» nomine, ita placidus et mansuetus, ita solitudinis studiosus ut —dum ceteri socii, apud quos vitam agebat, circumcursarent, exsilirent et cornibus sese petendo luderent—, in virenti pascuorum gramine recubaret et sub frondescentium arborum umbra, in floribus olfaciendis —qui sibi in deliciis erant— otium consumeret.

Vacca mater, timens ne ea vitae solitudo ad vires corporis augendas aliquid tauro detrimenti offerret, anxia et sollicitudine pro filii valetudine affecta, aliquando ab eo quaerebat:

—«Quare, fili mi, cum tuis sociis nec curris, nec ludis, nec exsilis?».

Cui taurus:

—«Ne, mater, anxia fueris... Ego in jucundissima et amoenissima pratorum herba sedere flosculosque varios, qui prope me germinant, olfacere amo...».

Volventibus annis tauri qui currendo, saliendo, inter se petendo et pugnando sese exercuerant ita adoleverant ut validissimi, saevissimi, superbissimi redderentur citatoque cursu procederent.

Michaëllulus vero qui —ut sua ferebat consuetudo quodque maxime ei arridebat, accubare in molli gramine mauerat— ignavus, mollis, delicatus factus est et gravi tardoque gradu incedebat...

Et cum ceteri comites flagrabant cupiditate in Cordubae, Caesaraugustae, Valentiae plateis, cum taurariis certamen ineundi, Michaëllulus nihil aliud, quam suavissimum flosculorum odorem, in gramine recubans, summa delectatione olfacere percipiebat...

II

Et accidit quodam die, tauris jam satis augescentibus, ut pasqua adirent praefecti qui taurum validissimum, celerimum, alacerrimumque deligerent ut in plateam Cordubensem ad pugnam transveherent.

Bestiae cum illos ad se accedentes homines viderent, adventus causam quasi divinantes, et exsilire, et concursare et capita et caudas quaterere et magnis fremere mugitibus, terramque unguibus scalpare coeperunt. Eos mente praeditos diceres!

Omnes ergo in praefectorum conspectum se robustos, firmos, violentos praebebant, sperantes se ad magnam gloriam perventuros dignosque fore immortalis memoria.

Taurus Michaëllulus —qui aestu gloriae minime ardebat—, neque se electum iri pro certo habebat, in virenti gramine sedens, flores summa voluptate olfaciebat...

Sed ecce se vesparum examini temere incubuisse non animadvertit taurus... Quare vespae oppressae, incommodae, ira vehementi inflammatae in cervice et



in dorso totoque corpore Michaëllulum acriter pupugerunt. Qui punctus —ut si electrica vi esset affectus— repente surrexit et ita fremere, terram unguibus quatere, ita sursum deorsum incursitare coepit ut praepositi tauro eligendo, ne a Michaëllulo peterentur cornibus, abdi tenerentur.


Laetitia pleni praefecti quod taurum robustissimum et saevissimum et alacerissimum omnium invenissent, maximis superatis laboribus comprehenderunt Cordubamque, ut cum agitatoribus decertaret, adduxerunt.

III

Dies magnus agitationis taurorum advenerat. Multitudo, vias publicas invadens, catervatim in taurorum plateam confluebat ut quam primum —cursum spectandi cupida— saeptis, aditibus, sedibus potiretur.

Vexilla volitabant, caveae gradus reboabant, clamoribus tota arena remugiebat... Adolescentulae caryophylla, floresque varios in petasis capillisque venuste infixos habebant. Tauriludii moderatores in podio sedebant.

Omnibus paratis, cursus initium tuba datum est. Equites in primis vecti equis phaleris instructis longoque hastili cum ferreo mucrone ornati —ut taurum ad



pugnam concitarent— in plateam exierunt. Proxime spiculatores sex in taurorum dorso spicula infixuri, in turbae plaudentis conspectum se praebuerunt.

Postremo vero —veste acu auro picta indutus— intravit lentusque in medium circum processit taurarius.

Qui ubi plateam circumivit, multitudinem clamantem praesidemque salutavit. Chlamydem gestabat rubram, gladiumque sub ea absconditum habebat.

Stabulo aperto, Michaëllulus prorsus se prodiens praestantem, in arenam irrupit.

Quem cum pinguem et fortem et robustum vidissent, equites tremuerunt et spiculatores, tremuitque taurarius. Multitudo —quae spissa sedilia implebat— concitato animo conclamare desiit, siluit.

Michaëllulus vero —incredibile visum in medium circum venisset, et caryophylla vidisset, suavissimumque —qui ex floribus efflabatur— odorem percipisset in media platea tranquillus lentusque, flores et caryophylla olfaciens recubuit.

Multitudo ira et furore abrepta clamores denuo sustulit magnos, spiculatores, equites irati recesserunt, mactator tandem —quia neque artem ostendere, neque industriam turbae praebere nequisset— lacrimas effundens e platea quoque, discessit...

Quod cum praeses vidisset, e sedili surrexit taurumque in pascua sua duci jussit.

Ubi vero ad suos Michaëllulus pervenit, vobiscum cogitatis quid Michaëllulus fecerit?

In virenti gramine iterum molliter sedit, ibique solus flores olfaciebat, flores summa voluptate olfaciebat...

JULIUS MARQUÉS, SEVERUS MOTO,
JOANNES PALOU

IV Cursus alumni, Magistro moderanta

P. ARAMENDIA, C. M. F.

ALUMNI SCRIPTA MITTUNT

Vergilius quondam...

Fertur, cum Augustus optaret Aeneidos aliqua capita audire, Vergilius ante Imperatorem et Octaviam sororem, libros tres carminis legisse, inter quos librum sextum, quo vates Marcellum adolescentem, nuper de matris Octaviae morte captum celebrat. Haec cum audiret, flevit Augustus et Octavia animo defecit. Vergilius, qui inter praeclarissimos vates habitus est cujusque famam Homerus tantum vincit, opere cui index «Aeneis» versibus hexametris Augusti Imperatoris et Romae originem divinam canit. Vates familiaris erat Augusto et praesertim Maecenati. Horatii amicus et praecipuorum hominum aetatis suae. Praeter Aeneidam, campestris poemata «Georgica» et «Bucolica», confecit. Quibus pulcherrimis ac jucundissimis versibus et vitam et labores campestris et mores pastorum canit.

JOANNES CASALS, C. M. F.
Celsonae, li cursus Philosophiae

Poculum, fidei exemplum

Vita Alexandri —quod frigidis Cydni aquis se abluerit— in grave periculum adducta est, ut medici timore affecti, nullum medicamen ausi sint ei ministrare. Philippus ab Arcania, qui a puero cum Alexandro amicitia conjunctus erat, unus praeparavit potum qui continuo Alexandrum curaret. Dum potus paratur, ad Alexandrum Parmenionis litterae advenerunt quae ut caveret Philippum suadebant: nam Dario erat deditus, qui obviam ei magnis copiis veniebat atque in regem moliri poterat perfido amico foederatus.

Quae tamen Alexandri pectus minime sollicitarunt, nam placide poculum hausit, tradens simul Philippo litteras accusatorias. Quarum perfidia confestim apparuit. Quam ob rem poculi memoria tamquam exemplum cum summae fidei tum plenae amicis fiduciae ad nos pervenit.

JOSEPHUS M.^o CAMARERO, C. M. F.

ARCHIMEDES

Pristinis temporibus mathematicorum nobilissimus Archimedes: qui Syracusis natus anno ducentissimo octogesimo septimo, ante Christum natum anno ducentesimo decimo secundo mortuus est.

Vere dici potest eum omnem fere vitam disciplinarum mathematicorumque studiis dedisse. Neque cum aliis amicitia fuit nisi cum sapientibus peritisque ut ipse erat. Magistrum Euclidem habuit; inventis tandem emittit quibus romanas naves accendit speculorum concavorum ope.

A romano milite, licet Marcelli consulis jussa id vetassent, occisus est. Etque monumentum exstructum est in cujus fronte sphaera super cylindrum discipuli delineaverunt.

L. COROMINAS, C. M. F.


APUD DUCEM

Miles coram duce aliisque iudicibus sistit ut tentamina subeat ad altiorem militiae gradum capessendum.

Dux: —Si centum pesetas in dextra crumena fers et in altera octoginta, quot fers?

Miles: —Altenum thoracem mannicatum (*chaqueta*).

Ad saltum equi



Indices cinematographici pediludio aptati

El fútbol: El mayor espectáculo del mundo.

El equipo: Los alegres vívidores.

Los suplentes: Vidas sin rumbo.

El sueldo de los jugadores: Las minas del Rey

El portero: Solo ante el peligro. [Salomón.

Los defensas: Tercio de quites.

Los medios: Vaya par de marinos.

Los delanteros: Los invasores.

El árbitro: El gran pecador.

Los jueces de línea: Mundos opuestos.

El masajista: Débil es la carne.

El presidente: Juan nadie.

La directiva: La torre de los ambiciosos.

El delegado del campo: Correo diplomático.

Los fichajes: Mercado de ladrones.

El balón: El cuerpo del delito.

El penalty: Al rojo vivo.

El gol: El escándalo.

La derrota: Murieron con las botas puestas.

Los que se cuelan: Condenados.

Butacas: Un lugar en el sol.

TRIANGULUS MAGICUS

1 2 3 4 5 6 7

1							
2							
3							
4							
5							
6		.					
7							

1. Horatii patria
2. Rumpis
3. Avium cubilibus
4. Madidis
5. Habites
6. Pronomen
7. Littera salutatis

Pediludium: Celeberrimum omnium spectacu
[lum

Lusorum manipulus: O callidi et veteratores
[homines!

Subsidiarii lusores: Incerti ac sine via homines.

Lusorum stipendium: Salomonis argenti fodina.

Portarius: Ipse solus in periculo.

Defensores: Terni ictus repellentes.

Medii cursores: Ecce nautae!

Assultores: Invasores.

Arbiter: Maximus omnium peccator.

Lineae iudices: Adversa hominum iudicia.

Unctor: Caro infirma est.

Praeses: Nemo ille qui Joannes vocatur.

Moderatores: Magna cupidorum turris.

Campi legatus: Tabellarius peritus rei tractan-
[dae.

Delectus conductioque lusorum: Mercatus latro-

Pila: Patraei sceleris signum. [num.

Ictus paenalis: Res candente igne.

Jactus validus: Scandalum maximum.

Profligatio: Calcetis lusoribus positus ceciderunt.

Clam penetrantes: Damnati!

Loci praecipui: In sole locus.

Magister: —Si hominibus, Carole, sudore vultus patris lucrandus esset, quomodo vic-
tum quaereret?

—Sudaria venderem.

Ita sane, dies breviores fiunt vixque labo-
res conficere possum.

—Nihil in re facilius; cum lucem solis vi-
deas per fenestram cubiculi intrare, surge cito.

Ita profecto facio semper; sed —fateor—
fenestra ad australem regionem spectat...

Celso-nae. PETRUS BORÉS

Tu, quae sola potes aeterni Numinis iram
flectere, virgineo nos tege, Diva, sinu!

Me resonante pia laudatur Virgo Maria.
—In campana quae dicitur Meridiana hunc
legimus versum—.

Morturi vivimus.

Mors nova vita mihi.

e Germania.

DR. DOLD

CLARET, VICTIMA CHRISTI

Fervidos ventis recinam triumphos
pristina exultans referamque gesta
dulcia ut Claret tremuloque contem
carmina plectro.

Ter quater totam peragravit ardens
insulam Cubam; manibus quietem
non dat; et Christi studio perustus
commovet omnes.

Voce Clareti valida canentis
saxa templorum tremefacta fervent
igneis cordis calidi sagittis
pectora flammant.

Nox erat; densis operitur umbris
jam polus, solis fugiunt nitores
unica heu! fulget velut alma stella
Claret imago.

Osculum jam jam peramanter omnes
exprimunt Patris manibus fideles
qui Deum fervens animo precatur
carmine sacro.

Sica consurgit, velut umbra mortis,
daemone occulto stimulante dextram
decidit vibrans facieque adhaeret
patris in ulna.

Sanguine effuso, radians amorem
pastor exclamat notulis paternis:
«Detis heu!, quaeso, veniam scelesto:
Sic docet Ille».

Gratiae caeli cumulo redundat,
lectulo Claret jacet et dolore
pressus atroci; silet ille, gaudet
Victima Christi.

Virginis pignus pariter recurrit
nulla doctorum medicina fertur
Claret at lectum subito relinquit,
vulnere sano.

Ast novum monstrum dabitur Parenti,
vulnere clausis etenim locisque
Virginis Matris nitet en imago
Virgo Dolorum!

Fers notam Christi facie nitentem
testis incedis Domini fidelis:
Accipe, o Claret, meritumque Matris
accipe donum.

PETRUS CODINA, C. M. F.

*Sanctus Antonius M.^o Claret kalendis februa-
riis anno millesimo nongentesimo quinquagesimo
sexto cum pastoralis visitatione Holguinium oppi-
dum inviseret magna hominum frequentia in ec-
clesia paroeciali congregata, Virginem Mariam
laudibus extulit ejusque amorem erga homines
flagranti studio praedicavit. Cum autem e templo
exiret, sicarius eum novacula aggressus est, mor-
temque effugit parva corporis inclinatione. Faciem
tamen et brachium dextrum vulneribus sunt
sauciata.*

*Cum hujus facti centenaria apud claretianos
ageretur commemoratio, adulescentes lucubratio-
nes et carmina exararunt, in quibus laude est
dignum carmen appositum ab adolescente XV
annorum confectum.*

ROMA, alma Urbs

Etiam hodie Roma, ut illis Imperii tem-
poribus, ceterarum orbis urbium principa-
tum tenet. Cujus moenia non tantum vesti-
gia illius gentis quae et nomen et gloriam
dediderunt ei, sed in primis nunc Christi
Vicarium retinent.

Ipse enim Deus ab hominum gloria in
fidei et Christi eam transtulit. Quae igitur
sedes omnium deorum toto orbe terrarum
erat, nunc Christi Vicarii est sedes.

Nomen quod antea potestatis et divi-
tiarum erat signum, nunc et spiritualitatis
et sanctitatis pignus est.

Tu, quisque es, laudibus Romam cele-
bra. Quae enim non tantum maximos ha-
buit Imperatores, senatores, duces, milites,
verum etiam et Pontifices Maximos et
martyres et Sanctos.

Roma, urbs sapientium et artificum, se-
des praeclarissimorum hominum.

ISIDORUS JIMÉNEZ

Celso, III cursus Philosophiae.

Cur patriam diligo meam

ARGENTINA, patria mea, nihil est mihi carius multis de causis: primum, quod est mater mea quae mihi sanguinem venis suppeditavit; deinde, quod est terra ubi conditi sunt majores carissimi qui a matre mea meoque patre flentur atque coluntur; tum, quod oppidum vel civitas ubi natus sum argentina est; postremo et lingua quam loquor, et libri quibus erudior, et magnus populus in quo versor, et natura pulcherrima quae me circuit, omnia denique quae video, amo, disco et miror ARGENTINA sunt.

Hanc enim terram sudoribus irrigatam tot Evangelii Praeconibus quot sidera in caelis sunt; hanc terram maximis a Deo honestatam muneribus, sive altissimis niveisque montibus, sive latissimis amplisque pratis; hanc terram, quae in vexillo suo Deiparae Illibatae colores ostendit, hanc patriam summo pectoris amore colo ac diligo.

MICHAEL MUÑOZ

Latinitatis alumnus,
Rosarii in Argentina

OVIS VELOCISSIMA

Quendam rusticum dominus jussit vagantes oves in ovile recludere.

Aliquo tempore post reddit rusticus valde fessus ac sudore perfusus. Qui:

—«Omnes quidem oves, inquit, sunt mitissimae; sed unam inveni parvulam perquam celerrimam, quae quam longissime fugiebat; illam tandem post multos labores in ovile recludere potui».

Postridie dominus inclusum in ovile invenit...
leporem!

Rosarii, in Argentina.

Ismaël ZIMMERMANN
IV C. Gymnasii alumnus

CURIOSA ET JOCOSA

—Quo modo insulam describitis?

—Terrae pars aqua omnibus circumdata partibus, una tantum excepta.

Et haec quaeenam est?

—Quam supra vides.

BENJAMINUS DE M.^a FORCANO

—Quo modo finivit vita Julii Caesaris?

—Male, pessime, magister

JACOBUS MANCHO

Quidam Argivus Lacedaemonios apud exteros nequiores fieri affirmavit, sed deinde: «Meliores autem apud Spartanos».

JOSEPHUS M.^a MARTINEZ

Lacaenam quandam, cum post bellum in forum veniret, interrogaverunt:

«Quidnam scis agere?» respondit:

«Fidelem esse domumque curare».

JOANNES M.^a CANALS

Candelabra cujusdam vici furata sunt. Parochus e suggestu dicit: Quisnam candelabra surripuit? Loquimini! quisnam fuit?

—Novi ego, respondit puer.

—Loquere, fili mi! tua enim, lingua candida verum tantum ostendere potest.

—Latrones.

BENJAMINUS DE M.^a FORCANO



CAMILLUS PARENS



Romani qui e clade apud Alliam fluvium superfuerant quique ad Vejos non perfugerant, Romam omnes petierunt et, ne clausis quidem portis urbis, in arcem confugerunt. Galli, paulo ante solis occasum, ad urbem Romam pervenerunt.

Sed turba seniorum adventum hostium obstinato ad mortem animo expectabant. Qui eorum curules magistratus gesserant, ornati honorum insignibus, in vestibulis aedium eburneis sellis insederunt, ut, cum venisset hostis in sua dignitate morerentur.

Cum Galli ad eos velut ad simulacra versi starent, M. Papirius dicitur Gallo barbam suam permulcenti, scipione eburneo in caput incusso iram movisse. Ab eo initium cladis ortum est; ceteri in sedibus suis trucidati. Nulli deinde mortalium Galli pepererunt.

Galli deinde impetum facere in arcem constituunt. Primo militem, qui tentaret viam, praemittunt. Tum, nocte sublustri, sublevantes invicem et trahentes alii alios, in summum saxum evaserunt, tanto silentio ut non solum custodes fallerent, sed ne canes quidem, sollicitum animal, ad nocturnos strepitus, excitarent.

PATRIAE APPELLATUR




Anseres nonefellerunt, quibus, sacris Junonis, in summa inopia Romani abstinerant; quae res Romanis saluti fuit, nam clangore anserum alarumque crepitu excitus, M. Manlius, vir in bello egregius, ad arma ceteros vocans, Gallum qui jam in summo constiterat, umbonis ictu deturbat. Cujus casus proximos sternit, dum M. Manlius eos qui saxa manibus amplexabantur, trucidat.

Tum consensu omnium placuit ab exilio Camillum acciri. Missi igitur ad eum legati, lex curiata lata est dictatorque absens dictus. Interea fames utrumque exercitum urgebat. At, ne Galli putarent Romanos ea necessitate ad deditiorem cogi, multis locis de Capitolio panis jactatus est in stationes hostium.

Sed jam neque dissimulari neque ferri ultra fames poterat. Itaque pactum est pretium obsidionis mille pondo auri. Nondum tamen omni auro appenso, Camillus dictator intervenit auferrique aurum de medio jubet denuntiatque Gallis ut se ad proelium expediant; patria enim ferro, non auro, recuperanda erat.

Camillus deinde aciem instruit, Galli arma capiunt iraque magis quam consilio in Romanos incurunt. Sed, vertente fortuna, primo concursu Galli fusi sunt. Caedes omnia obtinuit; castra hostium capiuntur et ne nuntius quidem cladis relictus est. Dictator, triumphans in urbem redit et inter jocos militares, Romulus ac parens patriae conditorque alter urbis appellatur.

AENIGMA HORATIANUM



VESTIGIA-Transversa:

7. Hujus regiam Horatius non occupavit.
8. Hi pueri ssem in partes centum discunt diducere.
9. Sterilisque diu palus aptaque remis / Vicinas urbes ———.
10. Talis vomer collo languido boum trahitur.
11. Sisyphus.
14. Hoc pia testa mentibus anxiiis reducit.
15. Omnes composui. Felices! nunc ——— resto.
16. Optime Romulae / Custos gentis, ——— jam nimium diu.
18. Bimarit urbis.
20. Talis sapiens erat Ofellus.
23. Interminato fixae ——— pupulae.
24. At dixi ——— hunc lutulentum, saepe ferentem / Plura quidem tollenda relinquendis.
25. Tali mero poëtae putent.

VESTIGIA-Erecta:

1. Nimium patienter ne dicam ———.
2. Ille flumina a labris fugientia captat.
3. Fata bonique ———.
4. Utilium tardus ———, prodigus aeris.
5. Quid saeviet circa jecur ulcerosum?
6. Hac re diffingitur ferrum retusum.
12. Hic mensis silvis honorem decutit.
13. Hoc pronomine saepissime utitur Horatius.
14. Balba aetas.
17. Potores ——— Falerni.
19. Laeva stomachosus ——— eques.
21. Hoc facit Maevius poëta.
22. Nec mens mihi nec color / Certa ——— manet.

HERBERTUS H. HUXLEY · Mancuniensis

DUO MONACHI

Fuerunt quondam duo manachi, qui nemini unquam nocuerant, ne minimam quidem muscam oppresserant et mirabantur valde quod homines fratres suos offenderent.

Quod tamen curiositate moti qua fieret ratione experimento comprobare voluerunt. Et alter:

—Carissime frater ego cum puerulus adhuc essem vidi quosdam homines qui inter se rixabantur et de minimis contendebant, quidni et nos idem facimus

—Ita es, faciamus, si vis.

—Videsne ergo hunc uvarum racemum?

—Certe.

—Ego dicam meum est, illum edam, et tu contra: nequaquam sed meum est.

—Optime.

—Hic uvarum racemus meus est!

—Tace, tace, si tibi salivam movent uvae, tibi sint; vade in pace, et illas ede.

GABRIEL BORONAT

ADENAUER

Adenauer, ille confoederatae Germaniae praeses, in coetu legatorum publicorum dixerat: «Etiam inter socialistas nonnulli inventuntur egregii viri». Tum quidam: «Eugapae, auditisne quod dixit?». Et Adenauer: «Sed quid est, cur moveare tu, de quo ego minime cogitaverim?».

Adenauer, cum quidam ex legatis publicis—in consessu satis ardentem atque rhetorice fere quaedam proposita repudiatis— post singula repetisset: «nullum» —[e. g.: «postulantur majores mercedes «postalium»: nullum»]— ardorem compescuit. Facto enim silentio: «Socius, noster inquit Adenauer, repetit totiens»: «nullum». At mihi restat etiam scrupulus: nam nos olim didicimus hic substantive dici oportere: «Nihil». Nolite mihi ad pondera rerum tractandarum etiam grammaticarum quaestionum offerre spinas».

His dictis consessus illius aestus hilaritate latina dissolutus est.

A. AVENARIUS

Mater ejusque familia

Cum hispanica persecutio initium haberet, pater familias a communistis captus est. Prope Ecclesiam erat et sub vestibus res cultus divini ferebat quas ab impiorum violatione extraheret. Quem cum sacerdotem putassent, interrogaverunt; sed cognito errore, libertate donatus est. Medio circiter mense decembri currus automobilis juxta eum transit, e quo miles popularis descendit qui illum inspexit eique dixit:

—Heus, amice, posthac non amplius deludes!... Et miles ille popularis patrem familias in carcerem clandestinum induxit. Forte haec vincula ejus domui erant proxima, et per cubiculi fenestram filios in villa prospiciebat, qui etiam tum laeti erant, cum nihil de patris vinculis scirent.

Paucae vitae horae viro supererant. Facinus insequenti nocte patratum est. Mane unus e tortoribus factum cuidam janitori narrat, qui vitam juxta carcerem villamque agebat. Statim de quo agatur intellegit.

—«Vae tibi, inquit, septem filiorum patrem necasti».

—Quid?, ille; necavi quia sacerdotem esse putabam.

Martyris uxor certior de his facta est, et cum re vera christiana esset, filios convocavit, factum narravit eosque obtestata est ut nunquam sicario illi odium haberent, ad Jesu Christi imitationem qui cum in cruce moretetur, pro inimicis deprecatus est.

Post tres hebdomadas, amicus ut matrem solaretur iter est aggressus. «Novi, inquit, virum tuum misere esse interfectum. Utinam mense superiore vitae finem habuisset!»...

—«Minime vero, respondit uxor. Noluissem quia tunc vir meus martyr Christi non fuisset» His dictis mater et liberi pro tortore Deum precati sunt.

J. L. LATORRE

Celsoanae.

SCALAE SUBLIMES

2	Janii filius
7 - 8 - 9	Nitidi
3 - 15 - 6	Urbs Apuliae (genet.)
13 - 14	Romuli uxor
10 - 16	Aegyptiorum deus
4 - 1	Unum superat
11 - 12	Crystallo
5	Conjunctio

Si quae verba proponuntur in alia ejusdem sensus mutaveris et syllabas per numeros apte diviseris, poetae juveniles versus.

FACETE DICTA...

- Ubi laboras, puer?
- Apud dulciariam.
- Admodum miror cum sis parvulus
- Stultumne me credis?


Vir summa nocte domus januam pulsat.
Uxor fenestram cubiculi petit.

—Iterum vino madidus, stultissime, claves invenire nequis. Tibi statim demittam

—Mihi foramen, optatissima, demittas quaeso, claves manibus teneo...

C. LATORRE

Celsoanae.



Res in verba convertite et tritam leges sententiam; — sportas tamen quae vides in sacculos e collo pendentes mutabis —.

Viri fama clarissimi mortui in terra aliena

Samos genuit Pythagoram, texit Metapontus.

Ciceronem Arpini ortum, nutritum Romae, Sinus
Cajetanus vidit exanimem.

Plinium infantem lavit Athesis, grandaeuum exstin-
xit Vesuvius.

Vergilium dedit Mantua, Brundistum abstulit.

Genuit Ovidium Sulmo, ponticum exilium morte
consumpsit

Terentium Carthaginensem, quem Roma docuerat,
Arcadia sepelivit.

Horatium Apulum,

Ennium Calabrum,

Statium Narbonensem,

Ausonium Burdegalum,

Duos Senecas et Lucanum Cordubensem,

Plautum Arpinatem,

Juvenalem Aquinatam,

Propertium Umbrum,

Valerium Antiatem,

Catulum Veronensem,

Varum Cremonensem,

Claudianum Florentinum,

Persum Volaterranum

tumulavit Roma.

Lemmata imperatorum

Aelius Pertinax, hinc dictus, quod Imperium in-
vitus acceperit, patre Coquo natus. Primum ludii
moderator, tum Consul, demum imperator. Cum mi-
litum mores ad frugem reducere niteretur, ab iisdem
occisus est a. Ch. 195.

Lemma adhibuit: MILITEMUS.

Didius Julianus, qui Imperium a militibus emit,
captus a Senatu damnatus, jussu Septimii Severi
occisus est a. Ch. 195.

Habuit lemma: IN PRETIO PRETIUM.

Septimius Severus, morti proximus, exclamasse
fertur: «omnia fui, et nihil mihi prodest». Et con-
specta urna, qua post mortem conderetur, «tu virum
—ajebat— capies, quem orbis terrae non capit». Obiit a. Ch. 213.

Ejus lemma fuit: LABOREMUS.

L. M. SANSEGUNDO, O. S. B.

TRIANGULUS MAGICUS

	1	2	3	4	5	6
1						
2						
3						
4						
5						
6						

- 1 Musa astronoma
- 2 Placidus
- 3 Assisto
- 4 Fila duco
- 5 Pronomen
- 6 Vocalis

VERBA QUADRATA

	1	2	3	4	5
1					
2					
3					
4					
5					

1. Tranquillus. — 2. Fugio. — 3. Gus-
tatus. — 4. Cogo. — 5. Germana.

IGNATIUS RICART, C. M. P.

Cervariae, II cursus alumnus.

Nonne dixisti tubera solana hic te
consequisse? Contuere igitur quid exle-
rit.

—Quid?

—Asellus qui cum effodisset, tu-
bera tranquille comedit.

Majorum sententiae

Scientia non onerat, sed honorat.
 Dum spiro, spero.
 Stude ut bonis placeas.
 Nescis quid vesper serus vehat.
 Calamitas virtutis occasio.
 Ne Jupiter quidem omnibus placet.
 Usus magister est optimus.
 Meliora exempla quam verba.
 De mortuis nihil nisi bene!
 Nihil nimis!
 Hic cinis, ubique fama.
 Ubi fumus, ibi ignis.
 Nusquam est, qui ubique est.

Latet homicida sub toro

Matrona aetate provecta molliter sedet in conclavi, cujus armaria et sellae pretiosae lumine electrico perfusae pulchre nitent. Dum acta diurna percurrit, subito oculi eo haerent loco ubi litteris magnis scriptum vident: «Fur quidam heri vespere tabulatum alicujus domus ascendit, in cubiculum anus irrepsit sese sub lecto abscondit. Nocte insequenti clam e latebra egressus anum somno oppressam strangulavit et pecuniam

omnem furatus profugit. Quicumque scit, quis sit homicida et quo loco versetur, magistratum faciat certiore. Praemium mille marcarum feret. Alterutra homicidae manus tres tantum digitos habere dicitur». Quos dum matrona legit, cum gemitu murmurat: «Misera illa anus nunquam cogitarat fore ut aliquando in maleficientissimi hominis manus incideret. Magnopere angor noctu solam domi manere». Sed timorem pellit dicens: «Fenestras in tempore claudam portamque seris tuebor». Jam alia se ingerit cogitatio: «Si quis fur huc irreat, ubi se abscondat? Tantummodo sub toro hoc». Dum forte oculos eo convertit, subito tota torpet et frustra clamare conatur. Vox terrore interclusa ne sonum quidem edere potest. Cernit enim matrona sub toro umbram manus alicujus viri duobus digitis carentis. Quid faciat? Etenim necesse est homicidam ignorare sese cognitum fuisse. Murmurat igitur matrona terrefacta secum, sed ita, ut homicida audiat: «Ah, modo mihi in mentem venit pecuniam Fabro mercatori cras fore solvendam. Doleo autem multum, quod crumena vacua restat. Anna ancilla meo hoc ipso vespere ad argentarium ibit. Equidem brevi notabo, quantam pecuniae vim ab eo poscat». Tum voce magna clamat: «Anna, Anna, fac curras ad argentarium et dicas, ut tibi summam notatam tradat». Sed animi praesentia ducta scripserat: «Homicida ille, quem quaeritis, latet in cubiculo meo. Summum est periculum. Ilico vigiles veniunt!». Jam momenta, quae sequuntur, plumbeis quasi pedibus abire videntur. Homicida, inscius quid matrona callida notarit et pecuniae surripiendae percupidus, immotum se sub toro continet. At subito conclavis ostium raptim aperitur. Dum vigiles armati intrant, matrona, tota pallida, ubi digito torum monstrat, collabitur. Homicida demum post pugnam acerrimam oppressus manibus vinctis in custodiam datur. Ita animi praesentia factum est, ut matrona ab imminente coede servaretur.

CATENA VERGILIANA

Ex his versibus Vergilianis omissa sunt verba sex litterarum. Alterum dimidium primi verbi idem est atque prius dimidium secundi verbi. Ita fit series hujusmodi: *Pastor, Torvis, Visens, Ensium*.

- (a) exactum ad pluvia ventisque carebunt
- (b) honos nomenque tuum laudesque manebunt
- (c) effuge et haec Turno mandata novissima
- (d) solaque culminibus carmine buto.
- (e) et si non nocuisses, mortuus esses.
- (f) substitit atque utero sonitum arma dedere.
- (g) ille colit illi mea carmina curae.
- (h) tribulaque traheaeque et iniquo pondere
- (i) Claudia nunc a quo diffunditur et et gens.
- (j) regis Dercenni terreno ex aggere
- (k) admonet ira deum —que ante ora recentes.
- (l) non hic Atreidae nec fandi fitor

HERBERTUS H. HUXLEY,
Mancuniensis

xviii Kal. Jul. a. MCMLXI.

DE MENTIS ORANTIS EVAGATIONE

Ferunt Sanctum Franciscum Salesium cum rustico colloquentem, confessum esse se cum oraret, nonnunquam mentis evagationibus affici.

— Vere! exclamavit rusticus. Tu, tam sanctus vir, talia experiris?

— Utique, amice. Vides ergo me non sanctum sed miserum esse virum. Tu vero?

— Domine, ego cum oro, nihil aliud cogito.

— O felix homo! Ora pro me et vale nam jam abire debeo.

Et hoc dicens, equi sui habenas arripit.

— Quam pulcher, domine, equus iste!

— Tuum esse placeret, nonne?

— Cui nam non placeret?

— Audi: Si vel semel tantum, orationem

dominicum, nulla aliena cogitatione turbatus recitaveris, tuus erit.

— Irrides?

— Minime. Promisti; promisso stabo.

Tunc ergo laetissimus rusticus noster, magna pietate, junctis manibus, demissis oculis, incipit: «Pater noster, qui es in caelis»...

Cum autem ad illa verba pervenisset: «Da nobis hodie»...

— Dabisne cum equo et habenas? interrogavit homo.

— Neque habenas, neque equum, sed tantum perutile consilium illud:


«Quando oras, ab evagationibus cave».

GREGORIUS JOSEPH, O. S. B.

Notre Dame de Tournay, in Gallia.




Rem tentate, optimi adolescentes —praesertim qui linguam hispanicam calletis— et si bene attenditis et voces apte conjungitis ex psalmo verba componetis.



Tam ingenii acie quam inopia pressus, continuo felem petiit ejusque caudam conculcavit. Tanta vi adortus est ut feles, dolore captus, totam fere civitatem clamoribus obstreperet.

Vicinia conturbata, incolae molestia affecti, per domorum fenestras calceos ejiciebant et vestes ut feles sileret.



Quidam sanae mentis respondet


Ut praesidem Germaniae Orientalis —invisurum quoddam nosocomium seu mente captorum valetudinarium— magno plausu et clamore exciperent omnes amentes apte edocti antea sunt.

Cum vero solus janitor, unus mente

CALLIDUS HOMO

Quondam pauperrimus homo calceis indigens per vias et plateas diu noctuque deambulabat quaerens quo modo suam egestatem operiret.

Satis ab itinere fessus, conspexit felem prope domum sedentem, qui rationem pedes induendi praeberet.



Tum ille callidus homo, tanta facultate excogitandi praeditus, optimis calceis indutus magnoque gaudio exultans, cum fele profectus est.

—E malo bonum eruite, et mentibus mandate, pueri: «Labore et studio exoptata comparantur».

SERGIUS COPETTI

e III Gymnasii cursu

Rosarii, in Argentina.

sanus, tacitus adesset, praeses eum increpavit:

—Quidni tu plaudis?

—Quia EGO NON SUM AMENS

—respondit.

JANUARIUS RIEDEL, C. M. P.

VI cursus alumnus
Rosarii in Argentina


HIPPOPOTAMI CANTILENA

ADOLF LOHMANN, 1946


M. MOLINA, C. M. F. latine aptavit




Pro - dolor, hip-po- pots mus- u- do laborat naso!
Fo - calid rubro in faucibus - ip- se vestitur crasso.



Stans stupi - - - dum Lingui - du - lus, ros - tro de - russo - ma - -



net... Qui- ni sternu- tet - acriter non- senel sed- et- bis et ter cui



na - res sunt im - - - ma - - - - - res?

2. Et mater ante medicum
gemitibus exultat,
dum Doctor hippopotamum
olfaciens auscultat.
Fera fremit nec quiescit
aegro fracta singultu...
Quot humum usque guttulae
rorant, cadunt continuae
ex oculis et vultu!


3. Doctor vini lagsenulam
gravissime monstravit:
•Ni quid fit mox, hebdomadam
duplam morbus durabit.
Sed sane res, quod ad me est,
de medio tolletur...
Vinum si totum sumpseris,
diebus quattuordecim
res certo finietur•.

Natalicium, diebus,

Festis,

anno 1961

Palaestra Latina



Christus sua te illuminet luce et superna donet pace!

BIBLIOGRAPHIA

BADELLINO, ORESTE. — *Dizionario Italiano-Latino*, Ed. Rosenberg e Sellier, Via Andrea Doria, 14, Torino, 1961, L. 12.300.

Nemo est qui ignoret, quantum quaestio de lingua latina, nostris temporibus, in controversia versetur. Sunt enim viri, qui audacter, imprudenter, inverecunde, sermonem latinum tamquam effoetam anum, turpem, edentulam atque adeo inutilem respuendum ac taedio habendum esse effutiant. Sed doctissimi litteratissimique homines, quorum nomina longum est enumerare, non ita res se habere arbitrantur; immo solidis validisque argumentis, non modo hujus linguae opportunitatem, verum etiam necessitatem demonstrant. Inter linguae latinae fautores certo certius Rosenberg et Sellier editores enumerandi sunt, qui, nulla interposita mora, jam ab ineunte saeculo, omnem navant operam, ut undique litterae latinae renascantur. Illi enim principes in Italia, a septuaginta annis, in lucem illud Georgianum edunt lexicon, quod a Ferruccio Calonghio emendatum, expolitur, renovatum, perute equidem laboris instrumentum est in latinitate sive ediscenda sive excolenda. At in omnibus votis erat quod italicum latinum dictionarium conficeretur, completum, absolutum, quod, ut ita dicam, Georgianum opus digne sectaretur. Id quod maxime voluerunt, tantummodo hoc anno fieri potuit. Tanti operis beneficium Orestis Badellino debetur.

Haec editio princeps in latinitatis cultorum usum est edita.

Si quis a me quaerat, quid in hac re ex animi sententia iudicem, ego vero nullam puto italicam esse vocem, nullam locutionem, nullum dicendi modum, quae non rectissime

latine reddantur: tantam in eo esse vocabulorum copiam atque exemplorum ut nihil amplius desiderari posse videatur.

Badellinius noster res copiose sumit ab auctoribus latinitatis praestantissimis atque politissimis, sed quotiescumque apud eos necessarium ad italicum dicendi modum reddendum non invenit vocabulum, id, sine ulla dubitatione, cum ab his qui serius floruerunt, tum a christianis scriptoribus mutuatur, quod ad res significandas omnino videatur. Quod non culpae, non vitio, laudi potius auctori esse putamus, si verum est linguam latinam non velut rem mortuam habendam esse, sed usitatam et vigentem.

Ex virorum, mulierum, locorum nominibus, omnia refert quae ad antiquitatem, sed etiam quae ad aetatem nostram pertinent. Nec satis est: in extrema voluminis parte, quod 426^s paginis constat, Badellinius sedulitate et studio maximo omnia recentiora colligit vocabula, quae difficillius latine redduntur. Litterarum notae sunt ita valde nitidae atque variae, ut lector, etiam in lemmatibus magni momenti, quidquid desideret quam facillime inveniat.

Nos vero doctissimo atque humanissimo viro de hoc perfectissimo atque utilissimo dictionario italico-latino fraternis gratulamur animis, quod omnibus latinitatis cultoribus commendamus. Illud enim in nulla bibliotheca poterit deesse.

Maximae sint etiam nostrae laudes Rosenberg et Sellier, Taurinensibus editoribus, qui, neque curis neque sumptibus parcentes, nihil omiserunt quo nitidius, accuratius, longaque copiosius linguae latinae dictionarium viris litteratissimis exhiberent.

F. ALOISE

F. GALIANO, MANUEL. — *La transcripción castellana de los nombres propios griegos*. Sociedad Española de Estudios clásicos, Madrid, 1961. Pag 150

Librum, quem egregius Universitatis matritensis doctor Em. F. Galiano in lucem emisit, summis laudibus ab omnibus exceptum esse scimus. Deerat revera certa qua graderemur via in difficili et obscura quaestione nomina graeca apud nos transcribendi et acuendi. Et clarus doctor matritensis viam aperit et certas tradit regulas quibus innixi et errores in scribendo vitemus et recte appellemus et facile intellengamus unde voces nostrae originem ducant.

Praecepta vero, magno ingenio digesta et attenta consideratione perpensa, si ab omnibus strictim servantur, illa verborum confusio et falsa enuntiatio et interpretatio certo vitabuntur.

Normae describuntur quibus hispanice vocales et consonae graecae transcribantur, recte voces acuuntur, nomina hispanica ex ipsa declinatione et flexione graeca fingantur et componantur: omnia prudenti iudicio expenduntur; quod si omnibus forsitan non omnia placeant, doctor tamen egregius operam maximam contulit ad veritatem inveniendam et ad certas regulas statuendas. Nominum indices magno legentibus commodo erunt.

ROTH, HERBERT. — *Esta es mi fe*. 412 pag. Herder, Barcelona, 1961.

Hic liber —qui totus de Theologia est— sapientibus hominibus seu, ut ajunt, viris «saecularibus» ex auctoris sententia destinatur. Primitiva libri inscriptio est *Also glaube ich*; opus in hispanicam linguam a Richardo Galano dextro omne translatum est.

Quinque in partes res omnis distribuitur disserenda: I. Deus et res creatae (pp. 45-100). II. Jesus Christus (pp. 101-154). III. Ecclesia (pp. 155-282). IV. Vita gratiae (pp. 283-376). V. Consummatio (pp. 377-412). In re theologica hic explicanda, eo vergit auctoris propositum ut Scriptura Sacra semper ante oculos lectoris magistra veritatis obversetur. Sermo vero tenor vel ratio, sermonis hodierni quam maxime parilis, quo facilius in mentes christianorum scientia inter alias longe divina instilletur, ibique sanctitatis almos fructus excitet atque ad maturitatem perducat. In erudita introductione (pp. 17-44), de Revelatione et de Fide praecipuae referuntur quaestiones, captu omnibus faciles qui quicquam de christiana religione nostra sapiunt.

Id certe affirmari potest librum hunc —*Esta es mi fe*—, veram constituere fidei et vitae normam catholici shujus aetatis.

I. GONZALEZ, C. M. F.

Si vis **calendarium romanum** —fastos veteres dicebant— nostris diebus aptatum in annum 1962, eme «fastos» imaginibus zodiaci ornatos, versibus decoratos, Romanorum instructos computatione et nostra, quos Editor commentariorum qui ACTA DIURNA dicuntur scite paravit. Si hos «fastos» ad manus habes, nunquam in die mensis computatione incertus haerebis.

Adi: **Trinity School, CROYDON** vel **To Centaur Books, Ltd. 284, High Street, SLOUGH, Bucks** —in Anglia—.